



Dissertatio medica inauguralis de contagio morbi syphilitici imprimis secundarii

<https://hdl.handle.net/1874/316404>

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

CONTAGIO MORBI SYPHILITICI
IMPRIMIS SECUNDARI.

DISSERTATIO MEDICA INAGGREGATIONE

CONTAGIO MORBI SYPHILITICI
IMPRIMIS SECUNDARIJ

AVGVSTVS SVBNO. SVBIVS

IN AGGREGATIONE MEDICINAE

GERHARDI JOHANNIS MULLER

PROFESSORIS PVBLCI MEDICINAE

ACADEMIAE MEDICINAE BEROLINENSIS

PROFESSORIS PVBLCI MEDICINAE BEROLINENSIS

JOHANNES BUCHNER

MEDICINAE HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA BEROLINENSIS

AD PRAESENTANDUM

EXAMEN PVBLCVM

JOHANNES VAN LOEVEN

BEROLINENSIS

AD PRAESENTANDUM

EXAMEN PVBLCVM

AD PRAESENTANDUM

AGGREGATIONE

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

CONTAGIO MORBI SYPHILITICI
IMPRIMIS SECUNDARII,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

GERARDI JOHANNIS MULDER,

MATH. MAG., PHIL. NAT. MED. DOCT. ET PROP. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN

MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

LEONARDUS VAN LOENEN

Rheno-Trajectinus.

A. D. XVII M. DECEMBRIS, ANNI MDCCCLIII, HORA V.



TRAJECTI AD RHENUM,

APUD J. G. BROESE.

MDCCCLIII.

INVENTIO MORBI SYPHILITICI

MONSTRATIO MORBI SYPHILITICI OPTIMIS SECUNDARIIS

LEONARDUS VAN JONCKHEE

PHYSICUS

GENERICI JOHANNIS SEUTER

PARENTIBUS

OPTIMIS CARISSIMIS

LEONARDUS VAN JONCKHEE

PHYSICUS

IN ACADEMIA ROTTERDAMIENSIS

IN ACADEMIA ROTTERDAMIENSIS

PHYSICUS

PHYSICUS

LEONARDUS VAN JONCKHEE

PHYSICUS

PHYSICUS

PHYSICUS

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA GIBBEN ET DUMONT.

PHYSICUS

PARENTIBUS

OPTIMIS CARISSIMIS

SACRUM.

PRAEFATIO

PAULI

OPTIMI CARISIMI

Præfatio hæc quædam scripturae præsentium est manus
est. Qui enim hæc nostram studiorum peritiam in lucem pro-
ferunt nulla mentione facta vel eorum, quorum amorem existimant
que per totam vitam expertus sum, vel sui præstantissimorum
Vocantur enim nomine de me mortuorum. Nihil profecto ab hoc
gravi deliquit officio præstando me retinere, nisi stabilis con-
sentia hinc inde amine, quod vix meo vix sufficiant tan-
tum officio. An ideo vocem supplicare actus foret, non crede-
bit enim vix debeat tanta voluntas laudanda
- Præfatio de hæc quod de operibus meo debi quæ potui non
quæ vixit
Quæ sunt omnes, quibus hic poëta et auctoris stipendia sui-
erent, prout compelluntur quæ. Per hæc magis colenda, tan-
quam carissima. Tu enim me a locis tuis hinc emittis, ut
prosecutus es, optima Auctoris libellorum hæc semper et hinc

P R A E F A T I O.

Pauca huic qualicunque scriptiunculae praemittam me animus cogit. Quî enim hae meorum studiorum primitiae in lucem prodirent nulla mentione facta vel eorum, quorum amorem caritatemque per totam vitam expertus sum, vel tot praestantissimorum Virorum vario nomine de me meritorum! Nihil profecto ab hoc gravi dulcique officio praestando me retineret, nisi stabilis conscientia imo inhaerens animo, quod vires meae vix sufficiant tali arduo officio. An ideo vocem suppressere satius foret, non credo: ubi enim vires desunt tamen voluntas laudanda.

Valcat de hisce quod de opusculo meo: dedi quae potui non quae volui!

Quem inter omnes, quibus hic pietatis et amoris stipendia solverem, prius compellarem quam Te, Pater maxime colende, mihi que carissime! Tu enim me a tenella inde aetate summo amore prosecutus es, optimus Amicus, fidelissimus Dux semper et ubique

mihī fuisti. Num necesse est publice declamare me prorsus consciū esse, pietatem meam tantis tuis in me collatis beneficiis vix sufficere? Non possum quin verbo attingam solemnem illam horam, quae mox instat, qua summos in Arte honores fore ut capescam spero; id enim semper summum tuum optatum dixisti, quod gaudium nostrum tibi gaudere liceret, quod vix sperare ausus fuisset. Gratias igitur quas habeo maximas D. O. M. me offerre oportet, qui tuam infirmam valetudinem hucusque sustentaverit; quae, si quid vota valent, per longum temporis spatium adhuc Matri carissimae, Sorori conjunctissimae, mihique incolumis servetur, etiam atque etiam precor.

Quodsi jam tempus juvenile in memoriam revoco, quo in illustri hujus Urbis Gymnasio versatus sum, Vos imprimis meminisse juvat, Viri Doctissimi, qui animum juvenilem primum litterarum amore imbuistis et ad graviora studia conformastis. Vestras egregias institutiones semper grato animo recordabor.

Vobis quoque, Viri Clarissimi, TH. G. VAN LIDTH DE JEUDE, G. J. MULDER, R. VAN REES, P. HARTING et C. H. D. BUYS BALLOT, Praeceptores aestumatissimi, quorum egregia institutione mihī frui contigit, quorum praeclaris auspiciis arduam nec non pulchram naturae viam ingredi mihī licuit, gratum animum pro vestris eximiiis consiliis et multis in me collatis benevolentiae testimoniis proque domestica mihī concessa familiaritate palam testor. Quidquid tempus deleat, vestrorum de me meritorum memoriam nunquam.

Non possum quin Vos compellam, Viri Clarissimi, B. F. SUERMAN, J. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK, G. J. LONCQ et F. C. DON-
DERS, Medicinae in hac Academia Professores honoratissimi, quo-

rum egregiis lectionibus tum theoreticis, tum practicis mihi, quod valde gaudeo, interesse licuit. In memoriam revocanti quantum insigni vestrae doctrinae copia mihi prodesse volueritis, quot utilissima consilia atque optima praecepta Vobis debeam, verba desunt, quibus pectoris grati sensus exprimam. At non solum optimi Praeceptores, quoque Fautores et mihi continue Duces fuistis meque multis benevolentiae et humanitatis testimoniis semper accumulastis. Nolite recusare gratias ex imo pectore Vobis oblatas pro tantis de me meritis, quorum recordatio semper mihi grata erit. Utinam etiam in posterum vitae stadium vestris consiliis et benevolentiae testimoniis mihi gaudere liceat, unum est quod maxime in votis habeo. Vos omnes, Praeceptores Carissimi, in Academiae et Humanitatis salutem diu adhuc incolumes servet D. O. M.

Quid Tibi autem dicam, Vir Clar. L. C. VAN GOUDOEVER, Promotor aestumatissime, quando hac opportunitate Te compello! Qui grates meritas Tibi agerem, cui tanta debeo tum pro optima tua institutione in praxi chirurgica et obstetricia, tum pro auxilio, quod in elaborando hoc specimine mihi tam ample tamque benevole suppeditasti? Qui mihi de Dissertationis argumento dubitanti illud lubenter commendaveris, cujus gravitas virium mearum infirmitatem certe longe superabat; quoties vero hujus difficultates me opprimerent, doctrinae tuae copiam mihi nunquam denegasti, neque egregia tua consilia mihi defuerunt. Persuasum Tibi habeas animum meum ob magnam tuae benevolentiae copiam Tibi prorsus devinctum esse, nec quidquam dulcius mihi esse quam Tibi gratias quas habeo maximas et sinceras hodie palam offerre, inque posterum etiam vitae stadium Te eadem pietate atque amore

prosequi. Tua maneat utilissima vita per longam annorum seriem in aegrotantium et scientiarum salutem servata, Tibique omnia prospere cedant.

Restat mihi Vobis valedicendi officium, Commilitones amicissimi, quibuscum in hac alma Musarum Sede tot annos et studii et amicitiae vinculis conjunctus fui. Complures jam hinc abiistis, pauci tantum hic superestis, Vos omnes mei memores estote, vivite felices: ubi terrarum me sors ducat, ego semper recordabor vestrae amicitiae.

d. XV m. Decembris

a^o. MDCCCLIII.

CONSPECTUS.

INTRODUCTIO.

CAPUT I.

DE VIRO SYPHILITICO.

- § 1. Quid est virus syphiliticum?
- § 2. Num unum datur virus syphiliticum an plura?
- § 3. Num gonorrhoea est morbus syphiliticus?

CAPUT II.

DE VIRI SYPHILITICI AGENDI RATIONE.

- § 1. De insitione vel inoculatione.
- § 2. De viri syphilitici absorptione.
- § 3. De syphilide spontanea.
- § 4. De syphilidis localisatione.
- § 5. Num semper contagiosa est primaria syphilis?

CAPUT III.

DE DIFFERENTIA PRIMARIAM INTER ET SECUNDARIAM SYPHILIDEM.

CAPUT IV.

DE SYPHILIDIS SECUNDARIAE CONTAGIO.

- § 1. Observationes clinicae.
 § 2. De haereditaria syphilide.
 § 3. Experimenta.

CAPUT V.

CRITICA EXPERIMENTORUM CONTEMPLATIO.

Facet dantem morbi, qui cum syphili medicina praesent ep-
 nervationis causam quam syphilis, etiam laes tenetur, sine
 morbus venereus dicitur. Nec tempore nec sede circumscripta,
 necessitate aggressioe sequi se videtur, virum et feminam, ne-
 que una semper sed varia etiam loca prodit. Nam mi-
 tam est istiusmodi morbi, jam per aeterna praesentia, immo-
 ras observationes plurimasque descriptiones esse factas. Nonne
 igitur peripicuum est nonnulli summum hunc expectare hie-
 cet? Contrarium tamen verum. Quare nulla variata hie-
 morbi symptomata hodie melius quam antea cognita sint, praes-
 tique autem horum neque casibus, qui dicuntur accretus cog-
 niti sit, observari tamno-que hactenus neque hactenus, nec
 clinica, nec physio-que disceptata ad hunc usque hie-
 hactenus illustrata potuit; et ut morbi natura sic etiam eius
 generis in tenetur aliter hactenus; in quod hie-
 tantum, hie-
 scitatis opinionem hactenus hactenus, hie-
 duas classes referre hie-

INTRODUCTIO.

Pauci dantur morbi, qui tam amplum medico praebent observationis campum quam syphilis, etiam lues venerea, sive morbus venereus dictus. Nec tempore nec sede circumscripta, neonatum aggreditur aequae ac senem, virum et feminam, neque una semper sed varia admodum forma prodit. Num mirum est istiusmodi morbi, jam per saecula pandemici, innumeras observationes plurimasque descriptiones esse factas? Nonne igitur perspicuam ejus notionem summo jure expectare liceret? Contrarium tamen verum. Quamvis multa variaque hujus morbi symptomata hodie melius quam antea cognita sint, praecipue autem horum nexus causalis, qui dicitur, accuratius cognitus sit, obscuram tamen ejus naturam neque historica, nec clinica, nec physiologica disquisitio ad hunc usque diem quodammodo illustrare potuit; et uti morbi natura sic etiam eius genesis in tenebris adhuc latet; id quod plane testantur certamina, omni tempore in medicorum scholis de illa gesta inter sectatores opinionum maxime discrepantium, quas autem ad duas classes referre licet, quarum altera syphilidem, exeunte

saeculo XV demum in Europa exortam et cognitam, altera semper inter homines eam grassatam esse, dicto vero tempore demum innotuisse statuit; cui opinioni, saeculo XVIII a GUILIELMO BECKETT 1), chirurgo Londinensi, et SANCHEZ 2), medico Parisiensi, defensae, novissimo tempore imprimis favent ROSENBAUM 3), CAZENAVE 4) et VIDAL 5), et quidem hanc ob causam, quod apud varios scriptores antiqui et medii praesertim aevi morbi commoventur contagiosi circa organa genitalia obvii, uti quoque generales affectiones, quoad formam syphiliticis manifesto similes, quae tamen, causa morbi specifica latente, nullo nexu causali cum genitalium morbis conjunctae, potius heterogeneae habebantur et aliis, genere magis minusve similibus, adnumerabantur.

Horrendum morbum epidemicum anno 1494 in Europa exortum imprimisque regiones meridionales aggressum, supra commemorati scriptores morbi venerei, tunc temporis valde exasperati propter dissolutos mores, complicationem existimant cum aliis epidemiis, quales sunt typhus (CAZENAVE), pestis Maranica aut lichen epidemicus (VIDAL), in quarum evolutionem cum bellum Italicum, tum effluvia aut miasmata, alia, insignem vim exercuerant. Qui priorem vero opinionem tumentur scriptores, perhibent morbum istum, a medicis illius saeculi Gallicum, Italicum, vel etiam malum Neapolitanum aut Hispanicum dictum, per socios CHRISTOPHORI COLUMBI ex America in Europam translatum fuisse, quod imprimis ASTRUC 6),

1) An Attempt to prove the antiquity of the venereal Disease long before the Discovery of the Westindies. Philos. Transact. no. 357, p. 139.

2) Dissert. sur l'origine de la malad. vénér. Paris 1752.

3) Geschichte der Lustseuche im Alterthum, 1845.

4) Traité des syphilides. Paris 1843, p. 22.

5) Traité des malad. vénér. Paris 1853, p. IX.

6) De morbis venereis, 1738, L. VI.

SWIETENIUS et GIRTANNER ¹⁾ probare conati sunt. Considerant illi auctores iis, quae OVIEDO, historicus Hispanicus, saeculo XVI vigens, scripsit: morbum scilicet venereum jam per plurimos annos in America cognitum fuisse. Alii eorum, uti SIMON ²⁾, DIETRICH ³⁾, aliique auctores, morbum syphiliticum ab antiqua lepra deducendum credunt, quae in genere per totam Europam hocce saeculo jam rarior facta, peculiaribus conditionibus novam quasi formam induerit, horrendamque acceperit saevitiem. Hanc leprae spuriae speciem denique, Mauritania a rege FERDINANDO Catholico ex Hispania expulsis, in Italiam aliasque regiones illatam fuisse, opinantur HENSLER ⁴⁾ et GRUNER ⁵⁾.

Quod jam ad has diversas sententias attinet atque argumenta ad eas probandas allata, sequentia statui posse videntur: 1°. antiqui et medii aevi scriptores mentionem quidem fecerunt de genitalium morbis, quales sunt gonorrhoea, bubones, ulcera benigna et maligna, phimosis, paraphimosis, condylomata, rhagades, vegetationes, alia, quos immunditiae, excessu in venere, coitu cum foeda et immunda muliere, masturbatione productos habuere. Quae affectiones verosimiliter quidem fuerunt venereae, at vero non syphiliticae, simplici non vero specifica irritatione vel inflammatione ortae, quibus topica curatio medebatur, nullaque succedebant symptomata constitutionalia. De hisce affectionibus illustris HALLERUS ⁶⁾

1) Verhandeling over de venerische ziekte, uit het Hoogduitsch. Leijden 1796, p. 24 sqq.

2) SIMON, RICORD's Lehre v. d. syphilis, Th. I, p. 3.

3) Die Krankheitsfamilie Syphilis, 1842, Th. I, p. 37.

4) Geschichte der Lustseuche. Hamburg 1789.

5) CHR. GOD. GRUNER, Aphrodisiacus. Jenae 1789.

6) Biblioth. Pract. Vol. X, p. 473.

sequentia docet: »Universi fere saeculi XIV et XV scriptores de morbis penis scripserunt, et de vulneribus, quae homines luxuriosi ex concubitu cum femina immunda contraxerint. Verum topicum id malum erat." Pustulosa et tuberculosa denique exanthemata aliaeque affectiones, syphilidi secundariae adscriptae, leprae fortasse tribuendae erant. 2°. Americana morbi origo veritati plane contraria est habenda, quia neque a COLUMBO, neque ab alio quocunque de talis morbi praesentia in novo orbe mentio facta est, quaeque OVIEDO affert, omni fide carent: morbum enim jam anno 1494 in Italia adfuisse, plures fide digni auctores huius temporis testantur, dum sequenti demum anno COLUMBI socii in Italiam advenere, qui praeterea pauciores numero fuere, quam ut morbum tam late universeque dispergere potuerint; OVIEDO denique 30 demum annis post Americam detectam historiam suam scripsit. 3°. Constat, syphilidis ex lepra originem nec probatam, neque etiam probandam esse, cum multa, leprae nomine salutata, forsitan revera syphilidis symptomata fuerunt.

Quamquam igitur de origine syphilidis nil aliud constat, nisi morbum exeunte saeculo XV primum in Europa vel apparuisse vel observatum fuisse, id tamen certum est, syphilidem initio morbum habitum fuisse quam maxime diversis modis ab uno in alterum translatum, praecipue quidem coitu cum foeda muliere, testibus JANO DE VIGO ¹⁾, BENEDETTIO ²⁾ et PETRO PINCTORE ³⁾, epidemiae aequalibus, sed etiam aere, sudore (SWIETENIUS), saliva, vestimentis (FABRICIUS HILDANUS). FERNELIUS primus contagio specifico morbum produci docuit; dixit enim: »hanc

1) Pratique de chirurgie. 1513. Liv. V, Ch. 1.

2) ALEX. BENEDETTI, de omnium a vertice ad calcem morb. sign. etc. 1525, L. XXVII in folio.

3) Tract. de morbo foedo et occulto his temporibus affligente, 1499.

luem nulli adnasci, nisi contagio qui se polluerit 1);" majori simul cura, quam praecedentes auctores, varios, quibus obtinere possit infectio, modos descripsit, quod ex sequentibus ejus verbis patet: »Solutus concubitus, aut alius impurus contactus; nutrix, a qua infans pollutus lac sugit, a mammis; obstetrix, quae infectae parienti opem tulerit, a manu; infans, a vitiata nutrice, ab ore;" ex quibus praeterea luculenter patet FERNELIUM quoque opinionem eorum amplexum fuisse, symptomata tam localia syphilidis, quam generalia contagiosa habentium. Ista doctrina per duo saecula in medicorum scholis viguit, donec HUNTERUS, exeunte saeculo decimo octavo, eam evertere conatus fuerit, argumentis, cum ex observationibus tum ex institutis experimentis petitis, syphilidem constitutionalem non contagiosam esse contendens 2). Ab HUNTERO igitur certamen incepit, a RICORD ejusque sectatoribus haud minori vigore dimidio saeculo post contra veteris dogmatis fautores renovatum et ad hunc usque diem propagatum. Jam HUNTERUS plane perspexerat, quaestionem tam insignis momenti non clinicis tantum observationibus esse discernendam, ideoque ad inoculationem artificialem confugit, ut hac ratione de contagio syphilitico melius posset judicare. Haecce viri syphilitici insitio recentiori tempore fundamentum quasi exstitit systematis, a RICORD prolata, et jam per viginti et quod excurrit annos omni vi et summa tenacitate defensi. Quod HUNTERUS jam suo tempore docuit, id et nunc docet RICORD 3), experientia (insitione scilicet) syphilidem secundariam non esse contagiosam demonstratum esse. Hancce nihilominus doctrinam, etsi plurimis

1) *Universae Medicinae* L. VI, c. 20.

2) JOHN HUNTER'S *Abhandlung v. d. vener. Krankheit*. Berlin 1848. p. 574 sqq.

3) RICORD, *Lettres sur la syphilis*. Paris 1851.

observationibus et experimentis plane confirmata videretur, nonnulli iique magnopere laudati Viri ab initio inde refutare conati sunt, quippe cui obstaret et syphilis secundaria et natura tuberculorum mucosorum contagiosa. Postremis vero annis systema, a RICORD prolatum, magis magisque labasci incepit, crescente numero insitionum pure, de affectionibus syphiliticis secundariis desumpto, bono eventu institutarum. Non solum enim bene cedebant insitiones pure de tuberculis mucosis vel pustulis planis humidis desumpto, sed etiam pure ecchymatis syphilitici secundarii; neque in ipsis tantum aegris, sed in sanis quoque hominibus institutae. Jure enim multi existimabant eo tantum rem dirimi posse, si insitionis ope sani inficerentur homines; simul autem medici indignum esse et humanitati omnino contrarium talia instituire experimenta plurimi eorum censebant, at vero non omnes: WALLER enim, medicus Pragensis, rem aggredi ausus est, ejusque experimenta contagiosam syphilidis secundariae naturam, licet non ab omni parte certam, verisimillimam tamen reddiderunt. Eodem tempore aut brevi post VIDAL, CAZENAVE, RINECKER, aliique similia experimenta eodem eventu instituerunt.

Critica horum experimentorum indagatio, tum eorum, quae pro contagio syphilitico militantur, tum eorum, quae illi *oppugnare* videntur, hujus speciminis praecipuum argumentum efficit. Ad quod vero tractandum priusquam transeamus, de natura viri syphilitici, de ejus agendi ratione deque aliis quibusdam quaestionibus dicendum erit.

CAPUT PRIMUM.

DE VIRO SYPHILITICO.

§ 1.

QUID EST VIRUS SYPHILITICUM?

HUNTERUS primus fuit, qui directe, i. e. insitione artificiali, demonstraverit oriri syphilidem sola infectione per virus syphiliticum vel contagio specifico, puri ulcerum syphiliticorum inhaerente et insitione reproducendo. Quidam tamen initio hujus saeculi doctrinae Broussaisianae fautores, JOURDAN ¹⁾ imprimis, DESRUELLES ²⁾, RICHOND DES BRUS ³⁾, DÉVERGIE ⁴⁾, alii, specificam causam refutare, propagationem morbi peculiari telarum affectarum natura et minori majorive irritationis gradu explicare conati sunt. Insitiones frustra tentatae et medicinae physiologicae immoderatio praecipuae falsae hujus opinionis causae fuerunt; quae cum observationibus clinicis, tum indubitatis

1) *Traité complet d. mal. vénér.*, 2 Vol. in 8°. Paris 1826.

2) *Traité pratique d. mal. vénér.* Paris 1836.

3) *De la Non-existence du virus vénérien*, t. I, p. 76. Paris 1826.

4) *Clinique de la maladie syphil.* Paris 1826.

experimentis a RICHORD prolatis, refutata, prorsus omittenda fuit. Observationes dein innumerae et experimenta specificam morbi causam comprobarunt; morbi vero naturam ignoramus, cognoscimus duntaxat symptomata, quod autem et de caeteris contagiosis morbis valet. Varias quidem hypotheses ex disquisitionibus et experimentis deductae sunt, quae rem plus minusve illustrare videbantur: fundamento autem carentes mox evanuerunt. Hanc sortem subierunt vermes, quos ABERCROMBIE (1684), deinde DEIDIER ¹⁾ morbi causam habuerunt, licet eos non indicaverint; — hanc subiit vibrio lineola Mull. et trico-monas vaginalis, quorum illam in pure ulcerum glandis primariorum, hanc in purulento vaginae secreto microscopii ope detexit CLAR. DONNÉ ²⁾, quas tamen in pure bubonum syphiliticorum et affectionum primariorum aliarum partium frustra investigavit; unde apparet haec infusoria ad contagionem haud necessaria esse, quippe quae ad nullum peculiarem locum circumscripta sit. Observatio idem confirmavit, qua scilicet apparuit, animalculis aceto vini necatis, pus nihilominus aptum esse ad insitionem. Quum denique constiterit de illorum praesentia in aliis secretis putridis, decompositione producta habenda sunt. Quam GLUGE ³⁾ postea invenit in pure ulcerum primariorum massam albescentem, globulis cohaerentibus constitutam, et materiem tenacem, viscidam in pure secundario, utramque a pure normali differentem, obscuram contagii naturam ne aliquantulum quidem illustrare potuit. Uti microscopica, sic chemica etiam indagatio hucusque sterilis fuit, quippe quae nullum specificum principium, nullam

1) Dissertation méd. sur les maladies vénér. 7^e edit. Paris 1710.

2) Recherches microsc. sur la nature des mucus et la matière des divers écoulements des organes génito-urinaires, etc. Paris 1837.

3) Anatom. microscop. Untersuchungen z. allgem. u. spec. Pathologie, 1839. Hft. I, p. 23.

a pure normali discrepantiam indicare potuit. Sanguinis analyses a LERCH 1) et GRASSI 2) institutae, aut nullum discrimen aut globulorum tantum numerum imminutum et albuminis copiam auctam in syphilide constitutionali indicaverunt, dum contrarium saepe in syphilide primaria observaretur; sanguinis igitur analysi nequaquam morbi causa, sed ejus effectus tantum accuratius apparuit. Ex dictis itaque patet, viri syphilitici naturam plane incognitam esse, a vehiculo illud separari non posse, dum fermenti ad instar peculiaribus conditionibus reproducitur. Varia corporis fluida ejus vehicula habeantur necesse est; nec solum pus, sive merum, seu minori majorive mucii quantitate commixtum, sed quoque sanguis eorum, qui syphilide universalis laborant, a multis quin plurimis fons uber habetur, quo virus propagetur; huc referendae etiam sunt quaedam aliae secretiones, sperma ex. gr., cujus vim inficientem probare videntur variae observationes syphilidis congenitae in neonatis, quae, matre nulla unquam syphilitica affectione correpta, a patre tantum constitutionali syphilide affecto repeti poterat; eadem verosimiliter valent de lacte et saliva. Hac de re VIDAL 3): «en effet,” dicit, «des nourrices, sous l’influence de la diathèse syphilitique et n’ayant néanmoins aucun symptôme apparent de cette diathèse, ont communiqué la vérole à des enfants très-sains, nés de parents sains. Ici le lait aurait été alors le véhicule du poison.” Salivae autem indoles contagiosa, licet observationibus non prorsus probata, ex analogia tamen deduci cum jure quodam potest; uti enim sperma et lac, sic etiam saliva sanguine secernitur. Quid mirum igitur inficientem vim,

1) Dr. WALLER, über Contagiosität der secund. Syphilis; Prager Vierteljahrschrift, 8^{er} Jahrg. 1851, bd. I.

2) Gazette médic. 1850, p. 200.

3) Op. laud., p. 511.

sanguini inhaerentem, uti ex observationibus plurimis et experimentis, imprimis a WALLERO institutis, constare videtur, etiam fluidis a sanguine secretis posse inhaerere. Propriam igitur virus habere videtur essentiam nec vehiculo modificatam, nec conditionibus externis, quales sunt aeris temperies et agentia chemica, uti experimentis confirmatur a doct. TONGUE ¹⁾, in urbe Philadelphia medico practico, institutis. Hic enim materiei ab ulceribus primariis desumptae succum gastricum, sulphatis cupri et sulphatis ferri solutionem admiscuit, quo facto bono cum eventu mixtum illud pus se in se visse testatur. Pus syphiliticum etiam extra corpus per longum temporis spatium vim specificam conservat: insitionem nimirum cum pure per septem jam menses in lanceola residuo sibi successisse commemorat clar. SPERINO ²⁾, dum idem et alii scriptores confirmant.

Hisce de viri origine, natura, vehiculo praemissis, consideranda nobis sunt symptomata insitione tum artificiali, tum naturali producta, ut quantumpotere respondeatur quaestioni, an ex symptomatum syphiliticorum differentia ad differentiam causalem concludere liceat.

§ 2.

NUM UNUM DATUR VIRUS SYPHILITICUM AN PLURA?

Symptomata quam maxime diversa viri syphilitici contagione produci, quotidiana docet experientia; quod cum imprimis de

1) RICORD, Traité pratique des maladies vénériennes. Paris 1838, p. 115.

2) C. SPERINO, La syphilisation étudiée, etc. Trad. de l'italien par A. TRESAL, Paris 1853, p. 84.

secundariis symptomatibus valet, tum licet minori gradu de primariis. Quanta enim est ulceris primarii varietas quoad formam et indolem! Quaecunque enim forma prodeat, vel levis tantum quin vix oculis percipiendae excoriationis; vel ulceris partes cursu rapido destruentis et vix limitandi, quale est ulcus phagedaenicum aut gangraenosum; vel fungosi ulceris, vel indurati, uti ulcus HUNTERI sic dictum, semper symptoma locale causae specificae sistit, quod variis sub formis aut in diversis hominibus, aut in eodem diversis temporibus, observatur, quodque post hebdomades plures aut menses, generali infectione orta, sequuntur symptomata constitutionalia, aut sub forma levioris roseolae syphiliticae, aut forma graviore ac vehementiori, pustulae nempe oethymatosae, aut aliorum in cute exanthematum, aut planorum condylomatum formâ in membranis mucosis vel in earum vicinitate, aut ulcerum formâ, quae secundaria symptomata inter se magis adhuc quam primaria differunt. Quamvis affectiones cum primariae, tum secundariae plerumque signa quaedam pathognomonica ostendant, quibus diagnosi facilius fit, nihilominus variis admodum conditionibus, sive in homine ipso sive extra eum quaerendis, adeo modificari possunt, ut specificum characterem maximam partem amittant, ideoque non nisi difficulter distinguantur ab aliis affectionibus formâ quidem similibus, non autem syphiliticis; hancee symptomatum a vulgari typo discrepantiam et diagnosin difficilem reddere et in errorem inducere posse, facile intelligitur; idque eo facilius obtinere, quo severius morbi signa ex typo immutabili judicentur, testatur historia; ita HUNTERI 1) schola propriam morborum classem constituit, nomine *syphilidis spuriae*, sive *pseudo-syphilidis* seu *syphiloidis*, ad quam illae affectiones refere-

1) HUNTERI, Op. laud., p. 761.

bantur, quae, quod ad originem attinet, cum syphilide quidem conveniebant, formâ vero quodammodo differebant a typo ab HUNTERO creato et ubivis recepto; quibus denique specifica curatio non medebatur, vel nocere videbatur, quaeque igitur non syphiliticae habebantur. Hanc morborum classem postea insigniter extenderunt medici nonnulli Anglici, tum syphilidem spuriam, tum ipsius syphilidis etiam varia symptomata vel primaria, vel secundaria ad eam referentes. Opinabantur enim de contagio syphilitico idem valere, quod de aliis valet contagiis, quae, corpore suscepta, constantem symptomatum seriem producant. Ad constantia autem syphilidis symptomata, ex illorum opinione, inter primaria solum ulcus HUNTERI, inter secundaria exanthemata nonnulla leviora et ulcerationes pertinent. CARMICHAEL ¹⁾, qui ineunte saeculo nostro inter Anglos huic opinioni imprimis favebat, opinatus est, caetera symptomata tum primaria, tum secundaria tanquam pseudo-syphilitica esse considerata, diversis contagii speciebus producta, quorum quinque allatus auctor assumit cum totidem ulceribus syphiliticis primariis convenientes. Credebat insuper unumquodque ulcus primum constantem symptomatum generalium seriem producere solere; ita post ulcus simplex oriretur exanthema papulosum, post phagedaenicum vero et gangraenosum vehementiores affectiones generales, uti exanthemata pustulosa, ulcera faucium, caries ossium palati et nasi; ita post ulcus induratum sequeretur psoriasis et sic porro. EVANS ²⁾ quoque et JUDD ³⁾ huic theoriae favebant, existimantes contagium sy-

1) On the venereal Diseases, which have been confounded with Syphilis, Dublin 1814.

2) Pathol. and pract. remarks on ulcerat. of the genital Organs, Lond. 1819.

3) Einiges über den Ursprung u. das Wesen des syphilitischen Giftes, in BLERND's syphilidologie, th. I, p. 286.

philiticum ex variis constare viri speciebus, quae absque infectione variis causis occasionalibus in homine oriri possunt, quaeque contagio propagatae diversa etiam symptomata producere solent. Haec autem theoria necessario perire debuit, quandoquidem ex symptomatum diversitate ad aetiologicam differentiam false concluderit, atque causae specificae tantum adscripserit, quod magnam saltem partem temperamento, corporis constitutioni, idiosyncrasiae, aetati, vitae regimini magis minusve incongruo, imprimis vero ineptae curationi, et variis potentiis nocentibus adscribendum fuisset. Constantem symptomatum seriem unoquoque contagio produci plane testantur variolae, vaccina, morbilli, scarlatina caeterique morbi contagiosi; nihilominus momenta enumerata, diversas imprimis hominum constitutiones, ejusmodi esse, quae contagii vim insigniter mutare possint, morbis contagiosis epidemice regnantibus admodum perspicuum fit: alios enim contagiosus morbus vehementer aggreditur, alii leviori tantum gradu corripuntur, alii adhuc contagio nullo modo afficiuntur. Diversitatem autem syphilidis symptomatum tum a variis illis momentis, tum a varia morbi sede, non vero a variis contagiis pendere, experientia plane comprobavit; docet enim observatio 1): 1°. ulcus simplex abusu spirituosorum facile in phagedaenicum mutari; 2°. ulcera syphilitica in hominibus, vel scrofulosa vel alia dyscrasia laborantibus, saepius phagedaenica et diphtheritica fieri, dum 3°. in simplicia iterum mutantur ulcera emendata externa aegrotantium conditione, habitatione imprimis et victu, vel mutata medicatione; 4°. ulcera hominum, qui e regionibus tropicis

1) Vid. RICORD, Lettre XIX; VIDAL, Op. laud., p. 159 sqq.; SPERINO, Op. laud., p. 503 sqq.; MAISONNEUVE et MONTANIER, Traité prat. d. mal. vénér., Paris 1853, p. 157 sqq.

in septentrionales venerint, maligniora fieri, eorum contra, qui ex his in illas migraverint, brevi sanari (RICORD, VIDAL). In-
sitione quoque comprobatur semper eandem pustulae speciem
ulcerum primariorum pure produci, cujus demum forma con-
stitutione aliisve causis modificatur; quod autem puris ab ulcere
indurato desumpti insitione saepe ulcus induratum, simile igitur
symptoma, producat, plerumque facile explicandum similitu-
dine conditionum in utroque casu praesentium, et nullo modo
probare valet plura dari contagia syphilitica; neque nexus supra
memoratus primaria symptomata inter et secundaria, quem
statuit CARMICHAEL, observatione comprobatur; iidem enim
ulceris speciei, ulceri indurato v. c., admodum varia super-
veniunt symptomata secundaria. Perspicuum igitur est varia
syphilidis symptomata ex iisdem oriri causis, quae etiam alio-
rum morborum contagiosorum imagines modificant, nequaquam
vero e variis contagiis: ejusmodi enim conjectura experientiae
prorsus contraria est. Statuendum igitur videtur non nisi unum
dari virus syphiliticum, illud tamen varias casque obscuras mo-
dificationes in organismo pati: docet enim experientia insitione
puris ulcerum simplicium simplicia, hunteranorum hunterana 1),
secundariorum plerumque secundaria ulcera oriri.

§ 3.

NUM GONORRHOEA EST MORBUS SYPHILITICUS?

Non tantum ulcera canerosa (chankers), verum etiam puru-
lentam vel muco-purulentam secretionem membranae mucosae,
urethrae imprimis sed vaginae etiam, specificum viri syphili-

1) RICORD, l. c.; WALLERI commentat. supra cit.

tici contagionis signum, at vero sine jure, multi habuerunt. Quae affectio, ab hodierna medicina blennorrhoea, a vetere inepte gonorrhoea dicta, quidem ulcerum syphiliticorum stimulo oriri potest, saepius tamen aliis stimulis non specificis produci-
tur, variis pro variis hominibus, quorum praecipua sunt specilli vel catheteris in urethram introductio, fluida acria v. c. alcalina in eandem injecta (SWEDIAUR) ¹⁾, excessus in coitu vel coitus cum femina durante menstruatione, prae aliis omnibus vero cum muliere blennorrhoea vaginae laborante, multaque alia ²⁾. Quae ex hisce causis oritur blennorrhoea, cujus notio ad prima humanitatis fata pertinet, cum virulenta, sive ulceris syphilitici comite, blennorrhoea omni tempore confundebatur, quum indubitata utriusque speciei criteria deficerent et quaeque blennorrhoea post coitum impurum orta, ab eo inde tempore quo syphilis in Europa apparuerit, virulenta et urethrae ulceribus producta haberetur. Falsam esse ejusmodi opinionem imprimis SWEDIAUR et HUNTERUS indagacionibus anatomico-pathologicis probaverunt; nihilominus uterque auctor blennorrhoeam syphilitidis symptoma esse ex experimentis suis deducere studuit; quin eandem esse puris primariorum ulcerum indolem ac blennorrhoeae docuerit HUNTERUS, qui, pure gonorrhoeico in suum ipsius corpus insito, ulcera syphilitica et affectiones constitutionales passus fuerit ³⁾. Hujus contrariam vero opinionem professus est BENJAMINUS BELL, celeberrimus HUNTERO aequalis, blennorrhoeam affectionem peculiarem esse, proprio contagio productam, contendens; quod autem ideo a syphilitico admodum diversum habuit, quia pus blennorrhoeicum blennorrhoeam qui-

1) PRUYS v. D. HOEVEN. De Arte Medica, l. II, p. 1, p. 106.

2) RICORD, Lettre 3^{me}.

3) HUNTER, Op. cit., p. 628 seqq.

dem, non vero ulcus syphiliticum producat; quae **BELLI** opinio insitionum ¹⁾ quarundam cum pure blennorrhoeico a discipulis in semet ipsos institutarum eventu comprobata videbatur: sive enim fieret insitio in urethra, seu sub praeputio, sive ad glandis superficiem, blennorrhoea quidem oriebatur, nunquam vero ulcus syphiliticum. Sequentia imprimis argumenta attulit Vir celeberrimus, ut opinionem probaret: 1°. syphilis universalis perraro post blennorrhoeam observatur; 2°. raro tantum ulceris syphilitici contagio producit et rarius adhuc contrarium obtinet; 3°. post suppressam gonorrhoeam syphilis universalis nunquam sequitur; 4°. denique, syphilis multo frequentior foret quam blennorrhoea, si eodem produceretur contagio. **BELLI** theoriam multi recentiores auctores professi sunt, quodque discrimen contagium syphiliticum inter et blennorrhoeicum interest, tum observationibus, tum maxime experimentis comprobare studuerunt. Hoc nomine magni momenti habendae sunt, quas incunte saeculo nostro **HERNANDEZ** ²⁾ fecit cum pure gonorrhoeico insitiones, quibus simplicia quidem, non vero syphilitica ulcera supervenerunt. Blennorrhoeam non esse syphilitici morbi symptomata ex observationibus suis deducit **HERNANDEZ**; quodsi vero post blennorrhoeam orientur infectionis universalis symptomata, **HERNANDEZ**, uti post eum **RICORD**, ea ulceri vel in urethra vel in fundo vaginae abscondito attribuit. Generales post blennorrhoeam orti affectus, uti sunt exanthemata varia, maxime herpetica, articularum morbi, etc., a symptomatibus vere syphiliticis, secundum illum auctorem, prorsus differunt. Inter hodiernos auctores imprimis **BAUMÈS** ³⁾ theoriam de duplici

1) **BELL**. On venereal Disease, T. I, p. 439,

2) *Essay analytique sur la non-identité du virus gonorrhoeique et syphilitique*, Toulon 1812.

3) *Précis théorique et pratique sur les malad. vénér.* 2 Vol. 8°. 1840.

viro strenue defendit, contagium blennorrhoeicum a syphilitico eo praecipue distare putans, quod minori gaudeat acritate et si localis tantum infectio obtinet simplicem blennorrhoeam, si generalis vero, mitiores minusque extensos effectus quam virus syphiliticum producat, quod quibusdam observationibus probare conatur. Celeberrimus RICORD et hanc theoriam de contagio blennorrhoeico et alteram ab HUNTERO prolatam ac nunc quoque a multis inter Gallofrancos syphilidologis acceptam validis argumentis refutasse videtur. Ex ejus opinione blennorrhoea phlegmasia habenda est magis minusve intensa membranae mucosae urethro-genitalis, diversis omnino stimulis, prouti aliae catarrhales affectiones, productae; at vero acria praesertim ex vagina muliebri effluvia apud virum blennorrhagiam accendunt, et vicissim fluidum muco-purulentum a virili urethra secretum causa frequentissima sistit urethritidis blennorrhoeicae apud mulierem: in utroque enim casu pus secretum admodum acre est, et insignis mucosae urethrae sensibilitas. Pus ulcere syphilitico primario secretum stimulo mechanico non vero specifico simplicem blennorrhoeam urethrae producere potest, quod tamen raro obtinet, cum longe saepius ulcus syphiliticum hoc in casu oriatur. Ulcere syphilitico blennorrhoeam produci posse, observatione probatur: non raro enim viri ulcere primario ad glandem penis vel ad praeputium laborantes acri puris secreti irritamento balanitide vel balano-posthitide sensim progredienti corripuntur. Blennorrhagiam non esse affectionem syphiliticam obsequentia comprobatum habet RICORD 1): 1°. pus blennorrhoeicum, si inseritur, pustulam specificam non producit, dummodo non affuerit ulcus absconditum: »toutes les fois,» sunt illustris auctoris verba, »que le muco-pus a été emprunté à une mu-

1) Lettre 2^{me} et 3^{me}.

queuse non ulcerée les résultats de l'inoculation ont été négatifs." 2°. Symptomata syphilitica generalia blennorrhoeam simplicem nunquam sequuntur; orti vero affectus generales aut syphilitici non fuerunt, aut si fuerunt, ulcus occultum adfuit. Ulcera ista abscondita (chaneres larvés), etsi a multis negata, revera existunt, quod et anatomia pathologica et observatio illum docuerunt: quae enim praedixerat, facta insitione in duobus hominibus blennorrhagia urethrae laborantibus, ulcera syphilitica abscondita, post mortem in urethrae parte posteriori et vesica ipsa latentia monstravit RICORD 1); tales indubitatae observationes nec negativis experimentis a MOR-GAGNI 2), HUNTER 3), CULLERIER et BOYER institutis, neque argumentis e theoria deductis subverti possunt, eoque minus quod ejusmodi ulcera vel durante vita speculi vaginae ope dignoverit RICORD in feminis, quae sola blennorrhagia laborare videbantur. Quodsi igitur theoria de ulcere abscondito non mera hypothesis, sed experientia etiam nitatur, RICORDII doctrina de blennorrhoea iis praeferenda videtur, quae ab HUNTERO et BAUMÈS prolatae fuerunt, idque maxime ob sequentia argumenta: 1°. consentiunt omnes generalis infectionis signa blennorrhoeae raro supervenire; 2°. etiamsi ulcus occultum perraro observetur, sufficere tamen posse videtur ad explicandas generales infectiones post blennorrhoeam ortas; 3°. quae denique observatae fuerunt syphilides constitutionales cum ab aliis, tum imprimis a CAZENAVE, BAUMÈS, MARTINS et SIMON, etiamsi non affuerit ulcus in urethra latens, physiologicae absorptionis sequela esse possunt, qualis absorptio tum observatione, tum

1) Tr. prat. etc., p. 271.

2) De sedibus et causis morborum, L. III, epist. 44.

3) HUNTER, Op. cit., p. 59.

analoga aliorum venenorum actione probatur; 4°. oriuntur denique in balanitide et balano-posthithide vel erosiones, vel leves excoiationes praeputii et glandis, quae observationem fugiunt, vel quia non satis perspicuae sunt, vel quia celeriter sanantur; hisce nihilominus infectionem generalem saepius supervenire satis superque constat.

CAPUT SECUNDUM.

DE VIRI SYPHILITICI AGENDI RATIONE.

§ 1.

DE INSITIONE VEL INOCULATIONE.

Virus syphiliticum in humanum organismum prorsus specifica ratione agit, eaque diversa ab ea, quam aliae magis minusve similes materies virulentae in illud exercent, puta contagium variolosum, vaccinae, rabiei caninae, alia. Nihilominus earum actio, quamvis valde diversa, tamen pro parte convenit, ut itaque comparatio quaedam institui possit. Ex HUNTERI opinione virus syphiliticum, sive naturali seu artificiali inoculatione in corpus humanum translatum, faventibus quibusdam conditionibus, actionem specificam producit, quam plerumque nec vero necessario inflammatio comitatur et suppuratio sequitur, cujus secretum in aliis hominibus similem excitat actionem 1). Hoc igitur respectu cum inoculatione viri variolosi aut vaccini convenit, tum eo quoque, quod infectionis signa primum loco infecto ap-

1) HUNTER, Op. laud., p. 16.

pareant, sequentibus post breviorē longiorēve incubationis periodum universalis infectionis symptomatibus, quae efficiunt, ut contagium e sanguine secernatur. Quodsi vero symptomata ista, quae syphilidem constituunt, viri actione inficiente producta sint, ejus absorptionem sive lymphaticis vasis, sive venis, et transitum in circulationem praecessisse necesse est, pure specifico in eas partes, in quibus absorptio obtinere possit, allato, quales praecipuae sunt: mucosa genitalium et urethrae, labiorum, oris, caet., insuper partes tenui epidermide obductae, uti praeputium, interna labiorum majorum superficies, regio analis, papilla mammae, aliae; quas partes, cum facillime epidermide denudentur vel vulnerentur, RICORD aptissimas habet, quibus virus syphiliticum inseratur. Qui physiologicam absorptionem defendunt auctores insignem harum partium imbibendi facultatem afferunt, quam e contra vehementer negat RICORD, nisi solutio continui adsit: «Soyez bien convaincu,” inquit 1), «qu'en dépit de l'acte le plus intime, de la fusion la plus complète et de l'orgasme le plus voluptueux, avec une peau intègre et une muqueuse irréprochable, on peut sortir sain et sauf des rapports les plus compromettans. Soyez bien convaincu, au contraire, qu'une portion de peau déchirée, qu'une muqueuse éraillée rendront funestes les attouchements les plus légers.” Apodicticam tamen hanc sententiam, ut ex sequentibus quoque apparebit, alii merito refutant, libenter concedentes excoriatam vel erosam partem aliquam ad contagium suscipiendum aptiorem reddere, nequaquam vero solutionem con-

1) Lettre 12^e. Eandem opinionem jam ante aliquot annos professus est clar. RICORD; sequentia enim leguntur in ejus opere, cui titulus *Traité pratique etc.*: «tandis qu'un doigt privé d'épiderme contracte le chancre par le contact de son pus, les organes génitaux, restés en tous points intègres, peuvent en être impunément souillés.”

tinui conditionem, ut dicitur, *sine qua non* infectionis existimantes.

Quod ad epidermidem, sanam nimirum, attinet, cum RICORD plane consentiendum videtur: intacta enim epidermide, virus ad corium penetrare nequit; ut igitur oriatur infectio, inoculatio requiritur, quae variis modis perfici potest: vel lanceola uti in variolae vaccinae insitione, qui modus maxime usitatus est, vel cute vesicatorii ope denudata, uti WALLACE fecit, vel scarificationibus factis et pure syphilitico aut sanguine quoque dein inunctis, secundum WALLERI methodum. Haec syphilidis inoculatio artificialis, primum ab HUNTERO in ipsis aegrotantibus instituta, a RICORD praesertim ejusque discipulis frequentissime et quidem vario fine adhibita est et etiamnunc adhibetur. Jam antea diximus, HUNTERUM inoculatione usum esse, ut demonstraret puri ab ulceribus syphiliticis primariis secreto contagium inhaerere. Porro indicavimus, quomodo postea RICORD eam adhibuerit, ut affectiones vere virulentae a spuriis non virulentis decernerentur, v. c. a blennorrhoea. At vero non hunc in finem tantum insitiones instituebantur: secundariam enim syphilidem non contagiosam esse, RICORD inoculatione praecipue demonstrare voluit; alii vero e factis insitionibus hanc petierunt conclusionem: syphilidem secundariam revera contagiosam esse.

§ 2.

DE VIRI SYPHILITICI ABSORPTIONE.

Absorberi virus syphiliticum, nemo est qui dubitet; plane probatur absorptio, cum convenientiâ cum aliis virulentis materiis, tum clinica observatione, tum quoque experimentis. Symptomata enim syphilitica, imprimis bubones et diversae exanthe-

matum formae, ulcera secundaria et tertiariae affectiones effecerunt, ut brevi jam post morbum cognitum puris virulenti absorptionem fieri statuerint medici. Vasis lymphaticis detectis, multi et praesertim HUNTERUS ¹⁾ his unice absorptionem adscripserunt, dum generales constitutionales affectiones syphiliticae ab illo et plurimis aliis auctoribus sequela habebantur puris virulenti, in sanguinem translati. Hanc postea doctrinam BROUSSAIS ejusque sectatores negarunt, generalia symptomata sympathicâ partium actione produci declarantes; quae tamen theoria, postquam experimenta luce clarius probaverunt, pus bubonum syphiliticorum esse contagiosum, quod jam HUNTERUS enuntiaverat, relicta fuit. Attamen vasa lymphatica non diutius unica via habebantur, qua virus in circulationem transvheretur, postquam observatione demonstratum fuit, bubonem non semper praecedere universali infectioni, virusque venis quoque absorberi. Experimenta, porro a WALLER ²⁾ aliisque instituta, quibus inoculationis ope, non tantum puris sed sanguinis quoque, probatum est syphilidem secundariam esse contagiosam, omne, si quid restaret, dubium sustulerunt. Facta insitione tum naturali, tum artificiali obtinere absorptionem omnibus constat; diversae autem sunt variorum auctorum opiniones de modo, quo obtineat. RICORD nimirum symptoma locale, ulcus scil. primarium, absorptioni semper praecedere contendit, alii contra, HUNTERUS imprimis, CAZENAVE et VIDAL, ulcus non requiri, ut fiat absorptio, statuunt. Quamvis HUNTERUS absorptionem ab ulceris syphilitici superficie frequentissimam haberet, putabat tamen immediata quoque absorptione cute tenui, mucosae fere simili, uti in glande v. c. et praeputio est,

1) Op. laud., p. 504, 562 et aliae.

2) Prager Vierteljahrscr., 1851, Bd. I et III.

posse obtinere, non vero ita cuti sana. Hanc HUNTERI opinionem multi hodierni medici amplectuntur: »En effet," inquit VIDAL ¹⁾, »le virus appliqué sur certains points de la muqueuse peut très-bien arriver jusqu'au torrent circulatoire sans solution de continuité tégumentaire, la muqueuse peut très-bien être impregnée par lui, et l'absorption qui s'exerce irrésistiblement sur la plupart des agents toxiques, qui lui sont offerts sous forme liquide et sur certains corps demi-solides, ne se ferme pas au virus syphilitique seul."

Sic etiam WILSON ²⁾ absorptionem physiologicam admittit, ut et SIMON Hamburgensis. Absorptionem itaque non tantum ab ulceris superficie fieri, sed quoque absque cutis laesione obtinere posse, admodum probabile, quin certum vere habendum. Structuram praeterea contemplantes partium, quae prae aliis contagio exponuntur, statim apparet in illis omnes inveniri conditiones, quae fluidorum absorptioni et praesertim fluidi tam irritantis, uti pus syphiliticum est, favere possint: »Ook moet men bekennen," inquit Clar. VAN GOUDOEVER ³⁾, »dat er niets ongerijms in het denkbeeld gelegen is, dat b. v. bij den coitus de dunne, sterk gerekte mucosa van de glans of van het praeputium, wanneer zij met het virus als het ware wordt ingewreven, iets daarvan kan absorberen, even als ook medicamenten, in de huid ingewreven, kunnen opgenomen worden." Requirit igitur physiologica absorptio quaedam momenta fa-

ventia: vel contactum nimis protractum nimirum partis infectae

¹⁾ Op. laud., p. XXIII.

²⁾ De leer der Syphilis naar de Engelsche uitgave van ERASMUS WILSON, door S. JUNIUS, Leijden 1853, bl. 2 et 3.

³⁾ ROBERT DRUITT'S *Chirurgisch vade mecum*. Uit het Engelsch vertaald door J. C. TEN NOEVER DE BRAUW; nagezien en vermeerderd door Prof. L. C. VAN GOUDOEVER, 1853, Dl. I, bl. 212.

et sanae, vel contactum saepius repetitum, uti nutricem inter et alumnum, etc. Hisce deficientibus conditionibus faventibus, coitus cum mulieribus, ulceribus syphiliticis primariis, revera contagiosis, laborantibus, ab aliis impune exercetur, dum alii ex iisdem feminis vehementem sibi contrahunt morbum.

§ 3.

DE SYPHILIDE SPONTANEA.

Statuenti ricordo nullam dari syphilidem universalem nisi praegresso primario ulcere, infectionis generalis fonte, multi *syphilidem spontaneam* objecerunt, aut syphilidem ita dictam *d'emblée*, i. e. absque praecedente symptomate primario ortam. Peculiaris ista syphilidis forma, ad quam imprimis referuntur quidam bubones, at vero exanthemata etiam et ulcera secundaria, nulla alia affectione syphilitica praegressa orta, etsi rara, ex eorum opinione, qui physiologicam admittant absorptionem, tamen revera datur. Quam morbi originem imprimis CAZENAVE strenue defendit, dicens 1): »bien loin, que parmi les symptômes de la syphilis il y en ait un, qui soit univoque, comme on l'a dit, et qui traduise d'une manière exclusive l'infection syphilitique, il n'en est pas un peut-être, qui ne puisse être à lui seul l'expression première positive de cette infection." Tam latam vero significationem nec LAGNEAU 2), qui plures commemoravit bubonum spontaneorum observationes, nec VIDAL physiologicae absorptioni tribuit. Secundum HUNTERI

1) CAZENAVE, Op. laud., p. 152 et 174.

2) Traité pratique des malad. syphilit. Edition de Bruxelles, 1828, p. 83.

opinionem spontanea morbi species rara est, quin etiam subinde valde dubia, uti ex hisce HUNTERI 1) verbis patet: »in viris »interdum bubones observavi puris absorptione absque locali »symptomate ortos; quibus unice confidere licet: quia in femi- »nis enim incertum est, an non virulenta exstiterit blennor- »rhoea vel ulcus absconditum. Si in universum partes melius »inquirerentur, saepius forsan ulcus parvum, tanquam infectio- »nis fons, detegeretur.» Neque experimentis, nec clinicis observationibus bubonis spontanei, et in genere spontaneae syphilidis, existentiam probatam esse, uti contendit RICORD, veritati obstat. Cum pure ex spontaneo bubone desumpto BAUMÈS inoculationis ope ulcera primaria produxit, quin talem bubonem symptomata secundaria et tertiaria, docente experientia, secuta sunt. Hoc autem constat, saepissime hisce in casibus dubium remanere, an non levis excoriatio syphilitica vel ulcus absconditum praegressa fuerint, licet interdum accuratissima indagatio ne vestigium quidem localis infectionis indicaverit. Quoque ex analogia syphilidem universalem existere posse, non praegresso ulcere primario, demonstrare conati sunt. Docuit enim observatio, in vaccinatione quoque pro symptomatibus topicis nonnunquam universalem sequi eruptionem vaccinarum pustularum 2); fatendum tamen, illud argumentum parvi momenti esse habendum. Neque theoria obstat, quominus acceptam habeamus bubonis spontanei existentiam. Quodsi enim pus syphiliticum, ex ulcere vasorum lymphaticorum ope absorptum, per vasa illa absque ulla eorum laesione ad glandulas inguinales transferri possit, absorptio quoque tenui cute vel membrana mucosa, ut videtur, obtinere potest sine locali istarum partium affectione.

1) HUNTER, Op. cit., p. 508.

2) BOUSQUET, Nouveau traité de la vaccine etc., Paris 1848, p. 547.

Plura igitur argumenta, tum ex observatione, tum ex theoria petita, probare videntur syphilidem spontaneam revera, etiamsi rarissime, occurrere posse.

§ 4.

DE SYPHILIDIS LOCALISATIONE.

In antecedentibus, ubi de absorptione viri syphilitici egimus, jam diversas opiniones de ratione, qua obtinet, proposuimus, simulque animadvertimus, RICORDIUM viri actionem localem conditionem prorsus necessariam universalis infectionis habere, contra vero VIDAL, CAZENAVE aliosque infectionem localibus symptomatibus praegredi contendere. De viro syphilitico eadem valere perhibent, quae de aliis viris, uti variolarum, rabiei caninae, pustulae malignae, ozaenae contagiosae et mallei farcinosi, quae per brevius longiusve temporis spatium quasi sine actione in corpore manere (incubare) possunt, priusquam actionem, sensibus manifestam saltem, praebeant; in hisce morbis localia symptomata saepe sequuntur infectionem generalem; eadem ratione ulcera primaria et bubones non localia dicunt syphilidis symptomata, sed primaria generalium symptomatum vocant. » Dans certaines circonstances, » inquit VIDAL ¹⁾, » au contraire le virus est absorbé sans qu'il s'opère d'abord un effet local, et celui-ci se produit par contre-coup, c'est à dire, » après un temps d'incubation de la part du virus. » Quod etiam magis apparet ex iis, quae CAZENAVE ²⁾ dicit: » ainsi il y a eu d'abord contagion, puis infection et enfin vient l'expression

1) Op. cit., p. 157.

2) Op. cit., p. 143.

»symptomatique.» Hanc differentiam quoad therapiam magni esse momenti perspicuum est, quippe quae ex RICORDII opinione primis diebus, quamdiu absorptio viri nondum obtinuerit, localis tantum esse debeat, dum ex aliorum sententia non solum localis, sed etiam et praesertim quidem jam ab initio inde universalis cura adhibenda sit. Cura localis, abortiva sic dicta, prompta viri destructio, ut absorptio praecaveatur, causticis imprimis magis minusve efficacibus, vel etiam excisione ulcerum, haecce, si cum RICORDI localisationis theoriam amplectimur, dummodo tempestive adhibeantur, plane sufficient. Incubationis autem theoriam veram habentes, medicationem universalem cum remediis specificis instituere debemus ad delendam dispositionem, vel diathesin quam vocant syphiliticam, ad praecavendas igitur nocivas viri in corpus suscepti actiones. Inter hasce sibi plane oppositas opiniones medium quasi tenet Hunteriana theoria, docens virus syphiliticum eo tempore in circulationem transire, quo oriantur symptomata localia, imprimis ulcera syphilitica primaria, gradumque infectionis pendere ab ulcerum ambitu, eorum extensione, tempore, per quod absorptio obtineat, et secretionis virulentae quantitate 1). Ex his igitur principiis quoque curatio topica cum universali curatione mercuriali conjungenda est, ut et locali medeatur malo, et lues prohibeatur universalis. Prorsus locali actioni viri per majus minusve temporis spatium obstat absorptio caeteroquin tam vivida, de qua BOUSQUET 2) merito testatur: »cette facilité est telle qu'à peine en contact avec les vaisseaux absorbants ils (les virus) sont pris par eux, sans que rien puisse les leur enlever; les ventouses elles-mêmes, le plus fort, le plus puissant antagoniste de l'absorption

1) HUNTER, l. c., p. 434, 563.

2) BOUSQUET, l. c., p. 513.

»qu'on connaisse, n'ont pas plus d'efficacité." Has cucurbitas iis partibus admovebat, quibus brevi ante vaccinae lymphæ insita erat, quocirca porro: »on pouvait penser," inquit, »que le »ventouse aurait attiré au dehors tout ce qu'il y avait de virus »dans sa sphère d'activité. Cependant la vaccine vint à point »et suivit tranquillement sa marche, comme si l'on n'eût rien »fait pour l'empêcher." Insuper absorptionis vigorem tot fortuitae intoxicationes probant, uti intoxicatio per contagium in cadaveribus praesens producta, post neglectam in digito excoriationem, vel quae viperæ morsu oritur, quemque invitâ vulnerum immediata cauterisatione varia eaque saepe gravissima symptomata sequuntur 1). Praesertim vero absorptionis vis manifesta redditur celerrima venenorum cum anorganicorum tum organicorum actione. Utrum viri syphilitici proprietatem, qua specificam in omni casu cieat inflammationem, absorptionis impedimentum sit, utique dubitandum. Virus nimirum variolosum, variolæ vaccinae, alia, itidem specificam inflammationem provocant, et nihilominus celerrime in sanguinem recipiuntur. Localisationem viri syphilitici alio quoque argumento, de inoculatione artificiali deducto, probare conatus est RICORD 2), statuens scilicet virulentam actionem (fermentationem quasi) immediate post inoculationem incipere, ac sese non interrupta symptomatum serie, maculâ nimirum, papulâ, vesiculâ, pustulâ ethymatosa ostendentem. Quodsi igitur in artificiali inoculatione non observatur stadium incubationis, propter differentiam inter artificialem atque naturalem insitionem, in illa incubationem non obtinere nequaquam concludendum est. CAZENAVE 3) vero contendit in insitio-

1) VIDAL, Op. cit., p. 177.

2) RICORD, Lettre 24^{me}, p. 181.

3) Op. laud., p. 146.

nibus arte factis incubationem viri ideo non obtinere, quia hae insitiones in jam infectis et viro quasi saturatis hominibus instituebantur, indeque minime sequi, in sanis quoque incubationem non obtinere. Majoris autem momenti sunt quae VIDAL 1) RICORDII de localisatione opinioni opponit: eo judice RICORDI vulnusculi inflictis sequelas naturales cum specificis confudit; facta enim insitione cum pure ab affectione secundaria desumpto, specifica symptomata tribus demum aut quatuor hebdomadibus post traumatica sese ostendebant; insito autem pure ulceris primarii stadium incubationis adest quidem, sed breve est.

Tertium, quod pro sua opinione argumentum attulit RICORDI 2), si verum esset, maximi momenti esset habendum: infectionem nempe universalem fere nunquam oriri cura ulcerum syphiliticorum abortiva tempestive, i. e. intra quinque post infectionem localem dies, adhibita, hanc vero curam abortiva ulceris induratione non juvare. Cui tamen RICORDII argumento VIDAL 3) merito sese opponit, dicens, sanato ulcere nequaquam probari viri actionem esse deletam; oportet enim, ut diu adhuc observentur aegri, antequam affirmare possimus, nullas affectiones generales secuturas esse, neque RICORDI argumentum allatum satis probavit: constat enim, symptomata universalis interdum diu postquam localia evanuerint manifestari. Praeterea generalis infectio sequitur non raro, invita tempestiva pustulae syphiliticae cauterisatione. Quodsi itaque localia symptomata verosimiliter quasi reflexus habenda sint infectionis generalis, uti quoque spontanea syphilis probare videtur, ista generalis infectio topicis symptomatibus aut praecedere potest, ita ut haec

1) Op. laud., p. xxiii et 153 seqq.

2) Lettre 24^{me}, p. 179, seqq.

3) Op. laud., p. 155.

inter et illam periodus incubationis brevior diutiorve, ut in aliis contagiis, adest, vel, uti HUNTER opinatus erat, infectio universalis, quo tempore localis viri effectus apparebat, oritur. Huic vero HUNTERI opinioni eadem fere opponi possunt, quae contra RICORDI argumenta allata sunt, neque verum est, quod HUNTER contendit, infectionis gradum ex numero ulcerum, eorum majori minorive extensione, tempore, per quod persisterunt affectiones primariae, pendere. Theoria incubationis, secundum CAZENAË, VIDAL, LAGNEAU et alios, vera nobis videtur, quamvis incubatio contagii syphilitici ab aliorum contagiorum incubatione hoc profecto respectu differat, quod in syphilide stadium incubationis diversae omnino sit durationis, quod de aliis contagiis non ita valet. Haec vero differentia verosimiliter pendet e sede et indole affectionis, ex aegrotantium constitutione, e modo, quo infectio obtinuit, etc.

Vulgo intra secundum et quintum post contagium susceptum diem topica apparent symptomata, nonnunquam postridie contagii, subinde etiam *post diem quintum* 1).

§ 5.

NUM SEMPER CONTAGIOSA EST PRIMARIA SYPHILIS?

Est quaestio maximi sane momenti, utrum pus ulceris syphilitici primarii per totam ulceris durationem contagiosa sit, prouti lymphæ variolæ vaccinae v. c.; aut si non per totam durationem, quamdiu facultatem specificam retineat? Docuit et etiam nunc docet RICORD 2), ulcus syphiliticum primarium in progres-

1) VIDAL, l. c., p. 154.

2) RICORD, Lettre 11^{me}, p. 85 et Traité prat., p. 88.

sivo tantum stadio pus specificum, i. e. contagiosum, discernere, virulentam autem puris actionem disparere vel in reparationis, sive sanationis stadio, vel si ulcus in simplicem ulcerationem transierit, vel in tuberculum mucosum. Idem ex illius opinione de bubone syphilitico suppurante valet, nec minus de blennorrhoea sic dicta virulenta. Quaerenti, quamdiu contagiosum sit ulcus primum, respondet RICORD ¹⁾: »la période ulcéreuse, spécifique, est illimitée dans sa durée, en conservant les caractères des ulcères primitifs; c'est ainsi que j'ai pu pratiquer l'inoculation avec du pus fourni par des ulcères qui duraient déjà de dix-huit mois. Quant aux différentes phases du chancre, elles peuvent toujours être déterminées par l'inoculation." Tamdiu igitur perstat, quamdiu pus secretum post inoculationem specificam generat pustulam, quam unicum contagionis criterium habet: »Le seul caractère positif," ita inquit ²⁾, »univoque, pathognomonique du chancre, à la période de progrès ou de statu quo spécifique, se trouve dans le pus qu'il sécrète et qui peut être inoculé." Alii contra, ut SIMON, CAZENAVE et VIDAL, inoculationem incertum imperfectumque auxilium diagnosticum habentes, potius e caeteris pathognomonicis signis, uti e forma, colore, fundo, marginibus et secretionem ulceris aut bubonis ad diversas eorum periodos concludunt. »Ce sont en effet," ita VIDAL ³⁾ de inoculatione dicit, »les chancres déformés, dénaturés par la réparation ou une complication, qu'elle ne peut dévoiler. Pour les autres chancres, pour ceux qui sont à ciel ouvert, ou à l'état de progrès, non modifiés par le travail de réparation, pour ceux-là l'inoculation est inutile,

1) Tr. pr., p. 137.

2) Lettre 21^{me}, p. 165.

3) Op. cit., p. 167.

»elle n'est plus que dangereuse." Quamdiu igitur fundus ulceris magis minusve durus sit, coloris grisei, flavescentis; quamdiu ejus margines elevati sint et duri; quamdiu ulcus formam rotundam retineat et areola coeruleo-rubra circumdetur, tamdiu contagiosum manet. Licet in plerisque casibus enumerata signa ad diagnosin sufficiant, nihilominus variis complicationibus vel incipienti reparationis stadio, vel alia ratione ita occultari possunt, ut ex iis concludi nequeat, num contagiosa sit affectio neene, quali in casu insitio tantum artificialis rem decernere potest. Neque igitur clinicae observationes, neque experimenta per se sufficiunt ad rem dijudicandam, conjuncta vero magis minusve accurate indicare possunt, quamdiu pus syphiliticum specificam suam qualitatem retineat. Certi autem limites nequaquam, uti jam ex RICORDII verbis efficiendum, admitti possunt, neque ut postea videbimus tales admitti licet. BEHREND ¹⁾ invenit nonnulla ulcera syphilitica per 5—6 dies pus insitioni aptum producere, alii contra per 14 dies, quin diutius quoque. MAISONNEUVE ²⁾ ulcus post duos adhuc annos aptum inoculationi pus producens se observasse dicit; VIDAL diutius adhuc secretionem ulcerum contagiosam esse posse credit; dicit ³⁾ enim: »la »marche du chancre est ordinairement lente, il dure depuis un »mois jusqu'à plusieurs années et peut conserver pendant ce long »temps la faculté de se reproduire." Quatenam sit causa, quae efficit ut tantopere duratio stadii virulenti ulcerum syphiliticorum differat, nondum certe cognitum est; non dubitandum tamen, quin varia aegri constitutio, quin externa quoque momenta haec in re multum efficiant. Insignem enim aegri constitutionem,

1) Annotat. ad HUNTERI opus de *Syphil.*, p. 492.

2) Op. cit. p. 143.

3) Op. cit. p. 152.

CAPUT TERTIUM.

DE DIFFERENTIA PRIMARIAM INTER ET SECUNDARIAM SYPHILIDEM.

Virus syphiliticum, sive in initio ejus effectus locales sint, seu statim in sanguinem recipiatur et diathesin specificam constituat, actionem suam per seriem symptomatum potest manifestare, quae plerumque ab ulcere primario (chancker) incipiens, cachexia ita dicta syphilitica, nostro tempore, quod gaudendum, longe rariori quam antea, terminatur. Inter unum alterumque morbi extremum catena quasi symptomatum existit, quae RICORD ¹⁾ ad tres retulit classes. Ad *primam*, secundum RICORD, pertinet ulcus primarium, proxima infectionis sequela, atque bubo syphiliticus; *secunda* eas continet affectiones, quae, postquam virus sanguini commixtum virulentam facultatem partim amisit, sub forma exanthematum diversissima, ut maculosa, papulosa, vesiculosa, pustulosa, squamosa et tuberculosa, vel tanquam ulcera in cute et membranis mucosis secundaria, vel tanquam iritis syphilitica et sarcocele seu testiculus syphiliticus, apparere possunt. Ceterae affectiones telae cellulosae

1) Lettre 31^{me}, p. 248.

subcutaneae et submucosae, systematis ossei, fibrosi et muscularis, uti etiam variorum organorum, ut cerebri, pulmonum, hepatis, etc., *tertia*e ab illo annumerantur classi.

Alii vero syphilidologi duas posteriores classes unam faciunt, quam variis nominibus designant, ita: *syphilidis secundariae* (CAZENAUE ¹), *consecutivae* (VIDAL ²) et GIBERT ³), *confirmatae* (LAGNEAU ⁴), *constitutionalis* (HUNTER ⁵), (MAISON-NEUVE ⁶); distinctionem inter syphilidem secundariam ac tertiariam ideo non admittunt, quia tertiaria symptomata subinde una cum secundariis apparent, nonnunquam iis praecedunt; quod tamen RICORD curae institutae adscribit. Affectiones sic dictas secundarias chirurgi ab omni tempore signis plus minusve pathognomonicis, uti sunt sedes, forma, color, decursus, incubationis duratio, curandi ratio ac institutae curationis effectus, a magis minusve similibus primariae syphilidis symptomatibus distinguere studuerunt, nullum tamen horum sufficere, ut certe distinguantur, experientia docuit: etenim primaria ulcera quidem imprimis ad genitalia inveniuntur, at vero etiam in labiis, lingua, quin etiam, uti RICORD aliique sustinent, in tonsillis, palato et pharynge, dum secundaria quoque ad genitalia obvia dari possunt. Forma rotunda non certum indicium est ulceris syphilitici primarii, quandoquidem magnam partem forma e sede pendet. Exanthematis syphilitici color vulgo quidem at vero non semper ex rubro brunneus (cupreus sic dictus) est. Ulceris primarii decursus nequaquam in omni casu acutus est,

1) l. c. p. 142.

2) Op. cit. p. 326.

3) Manuel d. mal. vénér., T. II, p. 242.

4) Op. cit. p. 199.

5) l. c. p. 562.

6) Op. cit. p. 136.

nec secundariorum symptomatum chronicus. Non sola secundaria syphilis curam internam requirit, idem de primaria, imprimis de ulceribus induratis, inveteratis, valet. Quam incertum denique incubationis tempus sit, ex diversorum scriptorum observationibus manifestum fit: secundum RICORD ¹⁾ enim symptomata secundaria uno vel duobus mensibus post infectionem apparere solent, CAZENAVE ²⁾ contra, LEGENDRE et MARTINS incubationem per quinque annos perdurare posse opinantur. Antea HUNTER, nostro tempore RICORD ejusque sectatores, constans criterium in eo situm esse contendunt, quod primaria syphilis inoculatione transmitti possit, secundaria vero non possit; quod tamen criterium ad certam diagnosis statuendam nequaquam sufficit: ulcera enim primaria tantum in stadio progressionis pus inoculationi aptum producent, et nihilominus ulcera primaria dicenda sunt; tubercula mucosa sive condylomata lata, quae RICORD ³⁾ secundaria vocavit symptomata, quia insitioni non reproducerentur, crebra docente experientia, doctibus quoque experimentis, revera contagiosa sunt, ita quidem ut ipse RICORD illa antea formam quasi inter primariam syphilidem ac secundariam intermediam ⁴⁾ et vere contagiosam habuerit, licet hodie sententiam mutaverit; etenim dicit ⁵⁾:

» le tubercule muqueux doit être rapporté aux accidents secondaires; il est une preuve de véritable constitutionnelle; comme les autres symptômes secondaires, le véritable tubercule muqueux ne peut se transmettre que par voie d'hérédité." Prouti RICORD per longum tempus tuberculis mucosis certum, quem

1) Lettre 28^{me}, p. 210.

2) Op. cit. p. 507 seqq.

3) Lettre 29^{me}, p. 218.

4) Tr. prat. p. 152.

5) Lettre 29^{me}, p. 218.

occupare deberent, locum assignare nequivit, ita etiam aliorum de illis opiniones diversae atque incertae saepe erant. Nonnulli condylomata ista lata symptoma habuerunt primum simul ac secundarium (LAGNEAU, GIBERT), aut primum tantum (CAZENAVE), aut ea primum signum syphilidis constitutionalis vocarunt, uti VIDAL, SIMON aliique, qui secundariae syphilidis symptomata contagiosa esse opinantur. Ea insitione reproduci non posse affirmat RICORD, cui tamen sententiae opponendae sunt et clinicae observationes et, quod omne probat, insitiones a WALLER, RINECKER, VIDAL, CAZENAVE aliisque pleno successu factae, non tantum cum pure vel secretionem sero-purulenta tubercolorum mucosorum, verum etiam cum pure de pustula ecthymatosa secundaria desumto.

Neque tantum affectiones illae secundariae inoculatione reproductae sunt, verum etiam experimenta a WALLERO instituta contagium ipsi sanguini inhaerere, quod dudum jam ex innumeris syphilidis haereditariae exemplis suspicati fuerant plures, absque omni fere dubio probaverunt. Ulcus igitur primum non semper principium morbi constituit, quandoquidem exanthema papulosum vel tuberosum vel pustulosum primum symptoma esse potest. Quodsi ergo secundaria symptomata contagiosa esse possint, et interdum appareant ulcere primario non praegresso, distinctio inter symptomata primaria ac secundaria magnam partem valorem amisit, quum dentur papulae, pustulae aut tubercula tum primaria, tum secundaria, prouti quoque ulcera et bubones secundarii. An satius duci possit distinctionem hucusque acceptam, quae quamvis scientiae minus respondeat, usu tamen comprobatur, relinquere, eique aliam a RINECKER 1) nuper propositam substituere, valde dubitandum

1) Verhandl. d. Phys. Med. Gesellsch. zu Würzburg. 1852. III, 3.

est: proposuit nimirum Vir clar. distinguere inter syphilidem canerosam (chancker-syphilis) atque condylomatosam (condylomen-syphilis), uti jam antea WALLACE 1) inter syphilidem exanthematicam vel condylomatosam atque pustulosam distinxerat. Divisio a RINECKER proposita ideo quidem non accipienda videtur, quandoquidem condylomata lata, sive tubercula plana seu mucosa, rarissime primum infectionis symptoma constituunt et saepissime post primaria ulcera oriuntur.

Quocirca etiamnunc consentaneum videtur ulcera syphilitica, infectione vel inoculatione orta atque insecutos bubones *primaria* syphilidis symptomata dicere, omniaque deinceps orta morbi symptomata *secundaria* vocare.

1) Syphilidol. von BEHREND, T. I, p. 498.

CAPUT QUARTUM.

DE SYPHILIDIS SECUNDARIAE CONTAGIO.

§ 1.

OBSERVATIONES CLINICAE.

Inter varia, quae olim a multis scriptoribus allata sunt aut nunc quoque afferuntur argumenta, secundariam syphilidem contagiosam esse probare conantia, insignem occupant locum ea, quae ab observatione clinica petuntur. Artificialis quidem inoculatio, experimentum igitur, clinicae observationis valorem multum infringere videbatur, at vero tollere nequaquam poterat. Nova vero ista via, quam RICORD aliique multi inierunt, etiam observationi valde profuit. Negari etenim nequit antiquiores observationes, ut plurimum saltem, non ita accuratas esse, ut ex iis justae conclusiones peti possent. Sed praeterea, quum RICORD ejusque sectatores experimentum observationi adeo antepone-
rent, ut illud unicam viam haberent, qua quaestio de vel con-
tagiosa vel non contagiosa syphilide secundaria discerni posset,
observationum auctores coacti fuerunt accuratiores instituere
indagationes, ut vim syphilidis secundariae contagiosam clinica

via demonstrarent. Admodum diversus harum indagationum eventus fuit, saepe incompletus quin nullus, et quidem ob difficultates insignes, quin interdum nullo modo superandas, quibus haec indagationis methodus, uti jam sponte patet, premitur. Difficultates istae tum aegris attribuendae sunt, tum ipsis observatoribus. Nullus profecto alius morbus datur, in quo aegrotantes sive de industria, seu ipsi in errorem ducti, vel morbi originem ignorantes, medicum tantopere fallunt aut fallere conantur, quam morbus syphiliticus.

Anamnesis itaque in isto morbo magis adhuc quam in aliis incerta est et nihilominus ex sola aegrotantis narratione praegressorum cognitio saepe petenda est. Dum autem recordamur aegrotantium narrationibus et imprimis nutricum testimoniis, memor proverbii »Fallax gens nutricum», omnem fere fidem denegandam censet, multi tamen alii scriptores ea non semper quidem, at vero in compluribus casibus majori quin plena quoque fide digna existimant. Prae aliis VIDAL¹⁾ observationes tuetur, etiamsi pro parte aegrotantium dictis nitantur, et quidem hanc ob causam, quia conditiones, quibus aut aegri ipsi, aut nutrices vel parentes, pudore sive metu seu alia causa, medicum in errorem ducere proclives sunt, raras dicendae sunt, respectu habito ingentis eorum, qui morbo corripuntur, numeri, dum praeterea accuratum aegri examen multam saepe lucem afferre valet.

Nimiam fidem aegrorum dictis aut moribus habitam, imprimis vero aegrorum imperitiam, aut medicorum ignorantiam vel imperfectam morbi ejusque symptomatum cognitionem, vel praepudicatum eorum opinionem, id effecisse ut argumenta pro contagio syphilidis secundariae, priori saeculo vel nostro quoque ineunte, etsi ab illustribus medicis allata ut plurimum

¹⁾ Op. cit., p. 24 seqq.

nequaquam probarent, quod probandum fuisset, utique constat, quandoquidem distinctio inter primaria symptomata atque secundaria antea admodum imperfecta erat, atque igitur non bene distingueretur utrum infectio per primariam an per secundariam syphilidem obtinisset. Omnem autem fidem iis non esse denegandam multi quin ipse RICORD consentiuntur. Roganti autem num crebrae recentiorum observationes, inter quas WALLACE¹⁾ imprimis, CULLERIER *junior*, BIETT, CAZENAVE²⁾, VIDAL³⁾, BOUCHUT⁴⁾, SIMON⁵⁾, WALLER nominandi sunt, certo statuere potuerint utrum secundaria syphilis contagiosa sit, inoculationis fautores, prae aliis vero RICORD, fortiter negando respondent. Nuperrime adhuc RICORD in Academia Medicinae Parisiensi his verbis hanc suam hac de re sententiam enuntiavit⁶⁾: »je conclus, que tout ce que j'ai vu, observé et expérimenté me prouve que les accidents secondaires de la syphilis ne sont pas transmissibles." Quae a RICORDIO observationibus in genere opponuntur fere huc redeunt: nimis aegris eorumve moribus habetur fides; confunduntur primaria cum secundariis symptomatibus, tubercula mucosa ex. gr. sive pustulae planae cum ulceribus primariis vel luxuriantibus vel in periodo reparationis versantibus; denique ulcera primaria, non raro inter condylomata ista lata praesentia, iisque magis minusve abscondita, aut primaria ulcera insolitis locis occurrentia, uti in faucibus, ad palpebras, digitos, ideoque pro secundariis habita.

1) Syphilidol. von BEHREND. T. I, p. 193 seqq.

2) l. c. p. 108 seqq.

3) l. c. p. 516.

4) Traité pratique des mal. des nouveaux-nés et des enfants à la mamelle, 2^e édit. 1852. p. 882.

5) A. SIMON, RICORD'S Lehre v. d. Syphilis, T. I, p. 32. T. II, p. 14.

6) Communicat. à l'Acad. de Méd. par RICORD etc., p. 381.

Quos supra enumeravi auctores syphilidem secundariam contagiosam credunt, quia nutrix saepe ab infante, cui ubera praebet, si vel tuberculis mucosis affectus est, vel vegetationibus aut excrescentiis circa anum aut ad genitalia, vel in oris cavitate ulcerationes secundarias offerat, absque ullo, ut putant, dubio contaminata sit; quod eo magis accipiendum credunt, cum ulcera primaria in neonatis perrara sint; deinde quia infantum a nutricibus infectio non minus frequens est, sive haec obtineat secreto affectionum secundariorum, quod vulgo fit, sive quod rarius lacte; porro quia inoculationes cum materie ab affectionibus secundariis desumpta interdum bene successerint, quibus nunc etiam addenda sunt experimenta a WALLERO cum sanguine capta.

An licet nobis omnium illarum observationum atque experimentorum vim denegare, uti RECORD fecit? Non credimus, id tamen ex dictis perspicue apparet clinicam observationem solam, quod jam HUNTERUS agnoverat, quaestionem dijudicare quidem non potuisse, eam tamen contagium syphilidis secundariae verisimillimum reddidisse.

§ 2.

DE HAEREDITARIA SYPHILIDE.

Aliud argumentum afferunt, qui syphilidem secundariam contagiosam esse perhibent, haereditatem scilicet. Matres syphiliticas saepe procreare liberos, in quibus brevius diutiusve post partum symptomata affectionis syphiliticae apparent, cujus causa tantum in morbosa parentum conditione quaeri potest, jam praecedentis aevi experientia probaverat. Sed quum alii, inter quos SWIETENIUS nominari meretur, syphilidem neonato-

rum infectione aut in conceptione aut durante graviditate ortam crederent, alii neque sanguinem, neque secundariam syphilidem in genere contagiosam habentes, hunc infectionis modum locum habere non posse perhibebant, atque syphilidis neonatorum originem ex infectione durante partu, aut uti HUNTERUS ex actione viri incogniti, cum viro syphilitico magis minusve convenientis, explicabant. Ad hanc opinionem refellendam non sufficiebat indicare syphilidem secundariam esse contagiosam, sed accurata observatione probandum erat, haereditariam syphilidem non esse sequelam infectionis durante partu vel post eum. Explorationes speculi ope institutae satis superque demonstrarunt, in multis casibus infectionem durante partu non potuisse obtinere, ita quidem ut non solum ii, qui secundariam syphilidem contagiosam esse defendant, sed etiam RICORD ejusque discipuli in eo conveniant, quod syphilis in neonatis hereditate oriri possit, eoque magis, quandoquidem observatione probatum videretur spermate virorum, qui antea syphilitide laboraverant, sed a morbo sanati videbantur, contagium in ovulum posse transmitti, muliere immune manente.

Haereditaria nihilominus syphilis a diversis auctoribus diversa ratione accipitur atque explicatur. Qui syphilidem secundariam contagiosam perhibent, inde novum argumentum pro sua opinione petunt. RICORD vero opinatur syphilidem hereditariam, sive a matre proveniat, sive a patre, seu ab utroque, nequaquam morbum contagiosum esse demonstrare. Ex ejus enim opinione syphilis hereditate accepta plane convenit cum aliis affectionibus haereditariis, cum phthisi v. c., carcinomate, arthritide, mania, aliis. In Academia Medicinae, quae *Parisiis* est, nuper haec de re verba faciens, sequenti ratione loquebatur 1): «Il est

1) Communicat. etc., p. 297.

» un autre argument de M. VELPEAU, qui ne me paraissait plus possible que dans l'ouvrage de M. CAZENAVE, c'est cette opinion empruntée aux auteurs du siècle dernier, qui considéraient l'hérédité comme un fait de contagion, comme la preuve, qu'une maladie est contagieuse." Istud vero argumentum, quod RICORD absurdum vocat, probatur 1°. analogia cum aliis morbis contagiosis ex. gr. variolis; 2°. syphilidis haereditariae caractere pathologico; 3°. observatione et experimentis.

1°. Negari enim nequit infantem in utero variolis corripi posse, ipsa matre eodem morbo correpta; quin 1) etiam interdum, licet raro, foetus correptus fuerit, matre non affecta, sive in hac dispositio abesset, seu vaccinae insitione fuisset deleta. Quod de variolis idem de morbo syphilitico valet: matre syphilide secundaria sive constitutionali, quam vocant, affecta, morbus plerumque, licet non semper, in foetum transit, neque aliter fere quam per sanguinem transire potest. Nonnunquam jam in neonatis observantur, plerumque vero post paucas hebdomades vel menses quoque sese manifestant peculiaris coryzae species, vel erythema papulosum ad clunes et genitalia vel in aliis corporis partibus, aut etiam alia symptomata secundaria, absente omni symptomate primario.

2°. Etiam character pathologicus haereditariae syphilidis infectionem in utero potius quam haereditatem proprie dictam probat, qualis in phthisi adest, vel in scrofulosi vel in aliis morbis, in quibus praedispositio quidem adest, ejus vero ad morbum evolutio pro parte a conditionibus quoque externis pendet, quae ad syphilidem producendam non magis requirantur, quam ex. gr. ad producendas variolas.

1) Vid. ejusmodi observationes a MAURICEAU, MEAD, DENEUX aliisque commemoratas in opere, cui titulus *Nouveau traité de la vaccine* par J. BOUSQUET. Paris. 1848. p. 23 seqq.

3°. Differentia inter syphilidem haereditariam aliosque morbos haereditarios etiam magis perspicua fit contagiosa ejus indole, quae multis observationibus fere probata est; quodsi praeterea WALLERI experimenta cum sanguine syphiliticarum instituta vera haberi possint, iis simul probatur infectionem foetus in utero per matris sanguinem fieri posse.

Aliqua tamen convenientia inter morbos haereditarios supra dictos atque syphilidem haereditariam, quod ad genesin attingit, negari nequit, quam inter alia transitus syphilidis inveteratae (RICORDII tertiariae) parentum in scrofulosas, haereditarias affectiones apud infantes, quoque scrofuloidum nomine insignitas, ex multorum opinione testari videntur. Supra dicta sufficere videntur ad confirmandum, quod VELPEAU 1) contendit: »Qu'on trouve la preuve de la nature contagieuse de la vérole constitutionnelle dans l'hérédité, qui n'est plus contestée aujourd'hui par personne, et qui n'est au fond qu'une générale transmission de la syphilis constitutionnelle des parents à l'enfant.» Sufficiunt quoque ad probandum infectionem sanguinis ope obtinere posse, quae tamen infectio in iis tantum casibus probata haberi potest, in quibus mulieres syphilide constitutionalis affectae, quin etiam ad speciem sanatae, infantes procreant brevi postquam nati sunt syphilide constitutionalis affectos. Plura ejusmodi exempla narrantur, inter quae observatio sequens a VASSALIO 2) relata magni momenti videtur:

Vidua quaedam morbo syphilitico correpta apta instituta curatione sanata videbatur. Aliquo tempore post iterum nupta bis peperit; uterque infans manifesta syphilide secundaria correpta

1) *Communic. prem. de M. VELPEAU in op. cit., p. 263 seqq.*

2) *Mémoire sur la transmission du virus vénérien de la mère à l'enfant. 1807; etiam in CAZENAVII opere cit., p. 132 seqq.*

tus succubuit. Maritus brevi post morbo acuto succubuit, nullum unquam symptoma syphiliticum passus. Tertia vice nupta mulier gemellos peperit, qui eodem morbo succubuerunt; dein puerum procreavit jam cito corona venerea affectum, sed assumptis mercurialibus sanatum. Per totum illud temporis spatium mulier ab omni morbo vacua videbatur, dum neque alteri nec tertio marito morbum communicavit. Infantes revera syphilide fuisse affectos exinde apparet, quod eorum unus nutricem inficeret.

Etiam in clinico nostro chirurgico talis observatio facta est: mulier quaedam, uti et ejus conjux, ante aliquot annos syphilide affecta fuit. Apta curatione instituta neque apud eam, neque apud maritum ullum dein symptoma syphiliticum observatum fuit, accurata licet instituta exploratione; quater tamen ista mulier infantes peperit, dum nascebantur, perfecte ut videbatur sanos, at vero tertio vel quarto mense coryza syphilitica, exanthemate, aliisque secundariis affectionibus correptos, et non obstante curatione e medio sublatos. In hoc casu uti in praecedenti quoque infectio obtinere debuit post conceptionem et quidem per sanguinem maternum, nisi saltem in nostro casu etiam patris sperma inculpare velis.

§ 3.

EXPERIMENTA.

Quamvis observationes accuratae syphilidis secundariae indolem contagiosam fere probaverint, non tamen certissimam et omni dubio vacuam fecerunt. Ad quam obtinendam certitudinem experimento observationes confirmari oportebat. Methodus experimentalis, ab HUNTERO creata, denique in Galliam

translata, ibi in systema erecta est, quod clinicam methodum prorsus restringeret. Mox vero multi et in Gallia et imprimis in Germania se opposuerunt systemati a RICORD explanato. Jam ad primariam dignoscendam syphilidem insitionem artificialem non sufficere opinantes, eam minus adhuc ad discernendam primariam morbi speciem et secundariam, quam ob rem ea imprimis usus est RICORD, aptam habebant. Tum RICORD tum ejus adversarii suam opinionem experimentis probare conati sunt. Quae experimenta illi sufficiebant, his nullius momenti erant et vicissim; unde vero haec differentia? RICORDI adversarii ejus indagandi methodum incusant, RICORD vero illos non bene affectiones secundarias et primarias distinxisse contendit. Quamvis istae imputationes faciendae sint, critica experimentorum judicatio efficere poterit, qua simul quoque apparebit, quousque experimenta illa ad quaestionem de syphilide secundaria vel contagiosa, vel non contagiosa, discernendam profecerint. Quod ad ipsa experimenta attinet, eorum conspectus sponte ducit ad distinctionem inter *positiva*, sive ab assertoribus contagii instituta, et *negativa*, seu a RICORD cum suis prolata. Inter priora ea, quae ante viginti fere annos WALLACE instituit, ex multorum opinione ideo magni sunt momenti, quia ab illo experimenta non in ipso aegro sed in sanis hominibus, i. e. affectione syphilitica non laborantibus, facta sunt. Ante tres annos secuta sunt experimenta a WALLERO Pragensi instituta. Verum quidem est jam ante eum Gallofrancum DIDAY insitiones cum sanguine syphiliticorum fecisse, quae tamen alium in finem instituebantur, nimirum ut aegros primaria syphilide affectos ipsius viri actione sanaret, quod hodie *syphilisare* vocant.

Post WALLERUM inter Gallofrancos nonnulli experimenta instituerunt, ita VIDAL, cujus experimenta imprimis ecthyma secundarium spectant, CAZENAVE, BOULEY, RICHET et LINDE-

MANN, dum nuperrime SPERINO, syphilisationis in Italia patronus, et inter Germanos RINECKER positiva experimenta numero auxerunt. Antequam ad criticam experimentorum tum positivorum tum negativorum disquisitionem transeamus, breviter ipsa experimenta referre oportet.

WALLACE 1).

Hic primus opinionem auctoritate illustris HUNTERI in Anglia universe acceptam, syphilidem scilicet secundariam non contagiosam esse, experimentis refutare conatus est. Ejus tamen experimenta scriptoribus Gallo-francis diu latuerunt, donec ante paucos annos RICORDII attentionem excitaverint. Quamvis ex WALLACII praelectionibus de syphilide manifeste appareat eum bene multas, etsi saepe absque bono eventu, insitiones instituisse, duae tantum ab eo ample relatae sunt. Utraque inoculatio facta est cum pure pustularum psudraciarum. In altero casu in humerum, in altero in praeputium sani hominis puserebatur. In *priori* post quatuor hebdomades insitionis locoriebatur parva papula, quae in pustulam, deinde in ulcusculum transibat, dum post aliquod tempus series constitutionalium symptomatum sequebatur; in *posteriori* post quatuor itidem hebdomades in praeputio crusta parva apparebat, flavescens coloris et areola circumdata; post tres hebdomades et dimidiam universum corpus syphilitico obtegebatur exanthemate; apparebant insuper circa anum et in aliis locis papulae mucosae una cum insigni ex ano effluvio.

Utrumque igitur experimentum bene cessisse WALLACE existimat.

1) Syphilidologie von BEHREND. 1841. s. 60 seqq.

WALLER ¹⁾.

Experimentum primum. — In puero 12 annos nato, nomine DURST, jam plures annos in Nosocomio Pragensi propter tinea[m] capitis favosam curato, caeterum sano, ad internam dextri femoris superficiem scarificationes fiebant, quibus factis pus tuberculis mucosis secretum in vulnuscula inserebatur, quae deinde linteo carpto, eodem secreto humectato, tegebantur. Haec tubercula obtegebant labia majora et minora mulieris, in qua praeter cicatricem ulceris primarii nil aliud detegendum erat. Postquam vulnuscula sanata erant, oriebantur post 25 dies in locis scarificatis plura solitaria tubercula, quae deinde confluebant et crustis squamosis obtegebantur, quibus remotis superficies excoriata atque elevata apparebat. Duobus fere mensibus postquam institutum fuit experimentum, oriebatur in variis trunci locis exanthema maculosum, quod per totum dein corpus dispersum partim papulosum, partim tuberculosum fiebat. Postquam hoc exanthema sub mercurialium usu evanuerat et puer per septem hebdomades ab omnibus syphilidis symptomatibus liber visus erat, orta est angina syphilitica cum tuberculis planis, mucosis (plâques muqueuses) in utraque tonsilla, ad palatum molle et in commissura oris dextra, quae ibi per decem hebdomades permanserunt atque, sicuti quaedam postea ortae condylomatosae excrescentiae in margine palati mollis et ad arcus palatinos, sub usu jodeti kalici et cauterisatione ope lapidis infernalis evanuerant; simul quoque medebatur tinea[m] favosae; quo facto puer septem mensibus post inoculationem omnis morbi symptomatis expers fuit.

Experimentum alterum. — Apud puerum 15 annos natum,

1) Prager Vierteljahrschrift für die praktische Heilkunde, 8^{er} Jahrg. 1851, Bd. I. u. III.

romine FRIEDRICH, scoliosi affectum, et jam per septem annos lupo exfoliatio dextrae genae et regionis mentalis laborantem, in quo tamen nunquam symptoma ullum syphiliticum apparuerat, in femore dextro novi scalpelli ope scarificationes fiebant. In vulnusecula sanguis puellae syphiliticae insercbatur. Puella ista, ex brevi tempore constitutionali syphilide laborans, plura ulcera primaria habuerat, quibus sanatis urethrae blennorrhoea superstes fuit. Facta celeriter cicatrisione, loco vulnerato oriebantur 34 diebus post insitionem duo distincta tubercula, quae in ulcus insignis magnitudinis transibant, cujus basis, margo, fundus et peripheria manifeste syphiliticam indolem monstrabant. Fere eodem tempore etiam tuberculum solitarium in humero dextro observatum fuit, cujus tamen ortum aeger explicare non poterat. In hoc quoque casu novem hebdomadibus post experimenti initium, exquisitae maculae syphiliticae in trunco evolvebantur, quibus brevi tempore in diversis corporis locis papulae et tubercula succedebant, quorum diagnosi aequae facilis erat atque in primo casu. Triginta septem diebus post eruptum exanthema, postquam usus merc. sublim. corros. praescriptus fuerat, exsudatum oriebatur in tonsilla dextra, cui insecuta est exigua ulceratio, quae ut etiam maculae in cute disparuere, ulcere loco inoculationis orto simul sanato. Propter recidivam anginam et dein ingressam ulcerationem membranae Schneiderianae, post 9 hebdomades jodetum kalicum praescribatur, eo effectum ut dictae affectiones disparuerint et puer, quatuor mensibus postquam experimentum institutum est, plane sanatus sit.

Experimentum tertium. — In puero 14 annos nato, inde ab infantia caecitate, conjunctivitis blennorrhoeicae, quae phthisis oculorum produxerat, sequela, affecto, in Nosocomio degenti, novi scalpelli ope tres incisiones paralleles fiebant in humero sinistro,

quibus aliquid sanguinis ab aegro desumpto, de quo in primo experimento sermo est, brevi postquam exanthema eruptum erat, inserebatur; fascia quarto die sublata, jam duo vulnera sanata erant, in tertio autem eoque maximo aliqua suppuratio obtinuerat; at vero clausum erat vulnus septimo die. Cicatrices integrae manebant, donec 30 diebus post experimentum institutum tuberculum cutaneum ad externam et aliquot diebus post etiam ad internam cicatricem oriretur, utrumque ulceratam superficiem exhibens. Octo hebdomadibus post inoculationem oriebantur in pectore et abdomine, praesertim ad serobiculum cordis, maculae syphiliticae, quae post quatuor hebdomades prorsus disparuere. Postquam etiam tubercula cutanea applicatis lotionibus cum mere. sublim. corr. disparuerant, oriebatur angina syphilitica et apparebant tubercula mucosa cum ulceratione tonsillarum et arcuum; quae symptomata usu jodeti kalici sublata sunt, ita ut quinque mensibus post insitionem nullum praeter cicatrices morbi reliquium superesset.

Praeter ista experimenta bono successu instituta, duo alia retulit WALLER, quorum effectus negativus i. e. nullus fuit; in uno casu post 6, in altero post 19 hebdomades nullum adhuc signum, neque in insitis locis neque in aliis observandum erat.

VIDAL.

Exper. primum 1). — Juvenis 23 annorum, sanis parentibus natus, et ipse bona semper valetudine fructus, brevi post sanationem ulceris syphilitici primarii ad praeputii latus, syphilitidis universalis symptomatibus corripiebatur. In Nosocomium receptus accurato submittitur examini, quo patuit tubercula lata circa anum adesse, praeterea rhagades quasdam inter plicas

1) Op. cit. p. 354 seqq.

membranae mucosae simul cum purulento ex ano effluvio. Quo loco ulcus syphiliticum exstiterat nil aliud inveniebatur nisi cicatrix aliquantulum indurata. In toto insuper corpore aderant hic illic pustulae crustis varii coloris tectae et areola rubro-brunnea circumdatae. Querebatur aeger de cephalalgia supraorbitali doloribusque nocturnis in articulationibus. Pus e pustula ad dextrum pectoris latus desumptum lanceolae ope ad internam utriusque femoris partem inseritur. Jam postero die ad unumquodque vulnuseculum papula conspiciebatur, sensim sensimque in pustulam, jam praesentibus pustulis similem, mutata. Pure ex hac pustula desumpto nova insitio instituitur et quidem eodem eventu.

Altera deinceps insitio cum pure e pustulis ecthymatosis, ad sinistrum pectoris latus ejusdem aegrotantis obviis, facta est in quodam pharmaciae studioso, cui BOUDEVILLE nomen, juveni eximiae constitutionis neque unquam affectionem syphiliticam passo, qui ad experimentum instituendum libere corpus obtulit. Ad utriusque antibrachii latus internum lanceolae ope pus inoculatum est; sequenti die parva in utroque antibrachio conspicua erat papula, dein in pustulam mutata, quae post quindecim dies sanata erat. Viginti diebus post ad cicatricum latus novae oriebantur pustulae, in ulcera transeuntes pus largiter secernentia et post 45 dies sanata. Per omne illud temporis spatium defuerunt symptomata infectionis generalis, quae post tres demum menses manifesta fiebant, abortis pustulis in parte capitis capillis tecta, alopecia et intumescencia glandulae cervicalis. Insecuta est angina syphilitica, dein roseola, tandem dolores rheumatici spurii cum cephalalgia nocturna. In hoc demum morbi stadio cura antisiphilitica instituta est.

*Exper. secundum*¹⁾. — Juvenis 17 annorum, temperamenti

1) Ibid. p. 371 seqq.

lymphatici et debilis constitutionis propter universalem syphiliticam in Nosocomium *du Midi* dictum receptus, accurato examini submittebatur, quo patuit ante octo dies, brevi post spontaneam blennorrhoeae sanationem, exanthema pustulosum imprimis in trunco, sed etiam in aliis corporis partibus ortum fuisse; quae pustulae acuminatae erant, plerumque superficiales, atque in utraque clune hic illic ecthymatosam formam prae se ferebant. Cum pure ex duabus harum desumpto tres insitiones perficiebantur, duae in antibrachio dextro, tertia in sinistro; in utroque post duos dies apparebant pustulae parvae acuminatae, areola rubro-brunnea vel rubro-fusca circumdatae, crustis flavescens et parum adhaerentibus obiectae; quibus ablatis in brachio dextro fundus ulceris rubri coloris apparuit. Quatuordecim diebus post factam inoculationem deciderunt crustae, ulceraque sanata erant. Cicatrix in brachio dextro aliquantulum prominens, tuberculi ad instar, in sinistro depressa erat; utraque areolâ cuprei coloris cingebatur.

Exper. tertium 1). — Hoc instituebatur in viro temperamenti lymphatici, 26 annos nati, qui jam antea saepius syphilitide affectus fuerat, tunc vero temporis huiusmodi indolenti inguinali, ulcere syphilitico insecuto, et exanthemate laborabat, scilicet pustulis varicellarum formam prae se ferentibus, tum in superioribus, tum in inferioribus extremitatibus obviis. Pus e duabus etiam nunc integris pustulis desumptum lanceolae ope in superficie interna utriusque femoris inserebatur, unde mox duae similes pustulae prodibant, quarum pure altera insitio quatuor diebus post facta est et quidem eodem eventu.

Exper. quartum 2). — Juvenis 19 annos natus, lymphatici

1) Ibid. p. 343 seqq.

2) Ibid. p. 247 seqq.

temperamenti et satis bonae constitutionis, aliquot mensibus postquam ulcus syphiliticum primarium in glande penis sanatum erat, excrescentias ad ani circumferentiam percipiebat; exploratione instituta aliquot tubercula plana observabantur absque ulceratione, denique loco ulcerationis mucosa rubra erat, in-crassata, non vero excoriata; tandem materies sero-purulenta exigua quantitate glandem inter et praeputium prodibat. Praeter aliquam variarum glandularum intumescientiam nulla alia ad-erant symptomata. Epidermide ad brachium sinistrum parvi vesicatorii ope sublata, superficies denudata papularum mucosarum pure humectabatur. Pus ipsum desumptum erat a tuberculis mucosis ad ani circumferentiam viri cuiusdam obviis, in quo, praeter cicatricem ulceris primarii indurati ad frenulum praeputii, quod ante 4 vel 5 menses apparuerat, ulcus dextri arcus palatini et dolores rheumatoidei, igitur tantum symptomata generalis affectionis apparebant. Duobus diebus post denudata corii superficies ulceris formam prae se ferebat, marginibus abruptis fundoque flavo, et magnam puris quantitatem secernentis. Simplicissima adhibita cura, jam 10 diebus post insitionem stadium reparationis incipiebat, et papulosae eminentiae locum ulceris occupabant. Quoque in altero brachio epidermidis pars per vesicatorium sublata erat, quae denudata superficies per idem temporis spatium unguenti epispastici ope suppurare continuavit, nullum autem ulcerationis vestigium obtulit.

Exper. quintum 1). — Vir 37 annos natus, qui jam multos annos morbo syphilitico universali laboraverat, cujus indicia, uti cicatrices ulcerum in diversis extremitatum inferiorum locis, atque testiculorum intumescencia, conspicua erant, praeterea crurum paralyti affectus erat, verosimiliter exostosi ad colum-

1) Ibid. p. 468 seqq.

nam vertebralem producto. In hocce aegro inserebatur pus a tuberculis planis alius aegrotantis desumptum, sed absque effectu. Altera facta in humerum insitione cum pure e tuberculis planis ulcerantibus duorum syphiliticorum desumpto, quorum alter praeter ista tubercula ulcus quoque monstrabat in sanationem vergens, quinto post iteratam materiei purulentae applicationem die ulcusculum ortum est, quod post hebdomadem in tuberculum crusta tectum mutatum erat. Quatuordecim diebus post, remotâ crustâ, superficies ulcerans apparebat, difficulter sanata et maculam cuprei coloris relinquens.

CAZENAVE ¹⁾.

Ab hoc auctore pus exanthematis tuberculosi in aegrae crus lanceolae ope inserebatur eo eventu, ut postea loco insitionis ecthyma prodierit, cujus pus iterum bono cum eventu in utrumque feminae antibrachium inserebatur. Nulla alia symptomata, hoc excepto exanthemate, hac in femina adesse, exploratione speculi ope saepius iterata constabat, quo scilicet nullum primariae syphilidis symptoma erat detectum.

BOULEY ²⁾,

Apud mulierem syphilide tertiaria affectam vesicatorii ope epidermis de brachii parte tollebatur, quo facto per tres dies denudata cutis linteo carpto, pure de tuberculis planis desumpto humectato, tegebatur. Quinto post inoculationem die vulnus sanatum erat, at vero die 17 eodem loco papulae lenticulares oriebantur, quibus post decem dies insecutum est exanthema ecthymatosum, quod CULLERIER et CAZENAVE syphiliticum esse judica-

1) Ibid. p. 365; etiam Annal. des malad. de la peau et de la syphil. par CAZENAVE.

2) VIDAL, Op. cit. p. 243 seqq.

runt. Ut comprobaretur experimentum, alterum vesicatorium applicatum est, non tamen facta puris syphilitici inoculatione, neque hoc loco exanthema prodit.

RICHET ¹⁾.

Puella 21 annorum, temperamenti lymphatici et satis bonae constitutionis, e brevi tempore tuberculis mucosis ad genitalia laborans, accuratae et repetitae explorationi submissa, tantum tubercula ad commissuram labiorum posteriorem, cum ulceribus primariis, quae stadium reparationis intraverint, multum convenientia, leviolemque faucium inflammationem, nullum vero ulcus syphiliticum, neque ad genitalia externa, neque ad collum uteri, neque in alio corporis loco monstrabat. Deinde secretum pustulae ethymatosae, in superficie interna femoris sinistri recens ortae, lanceolae ope eidem dextri femoris loco inserebatur, quo facto insitio accurate ligata ab omni contactu tegebatur. Post biduum, mutata pustula ethymatosa in ulcus fundo griseo et marginibus inaequalibus praeditum, insitionis loco vesicula oriebatur, quae post triduum in pustulam fundo duro insidentem transibat; cujus pure in brachio insito altera ejusdem generis sequebatur, quae fere duabus hebdomadibus post insitionem prorsus disparuit, prioris adhuc duritie superstite, quae sensim sensimque, uti etiam ulcus in femore sinistro obvium, protracto iodeti hydrargyrici usu disparuit; qua curatione quoque psoriasis palmae manus interim orta sublata est.

RINECKER ²⁾.

Insitio prima. — Infans innuptae cujusdam mulieris, nomine

1) Ibid. p. 365 seqq.

2) Verhandl. d. Phys. Med. Gesellsch. zu Würzburg. 1852. III, 3.

BRÖNNER, quae prioribus graviditatis mensibus constitutionali laboraverat syphilide, tribus hebdomadibus postquam natus est, hereditaria syphilide correptus videbatur, cujus symptomata praecipua erant condylomata lata ad genitalia, syphilitica oris labiorum et linguae affectio (plâques muqueuses) et exanthema lenticulare sive acnè syphilitica, qua sensim paulatimque tota obtegebatur facies. Quamvis indoles horum symptomatum syphilitica jam eo cognoscenda erat, quod puella viginti annorum infante infecta est, attamen facta est artificialis insitio, ut de natura morbi contagiosa vel non contagiosa omnibus constaret. Medici 24 annos nati, qui nulla unquam affectione syphilitica laboraverat, cuti in humero sinistro ope vesicatorii denudatae pus, ex quibusdam infantis acnes pustulis desumptum, inserebatur. Quatuor fere hebdomadibus elapsis insitionis locus durus et infiltratus videbatur, partim exerescentiis papulosis obductus, quae octo diebus post formam tuberculorum praese ferebant et dein, orta suppuratione, pro parte ad apicem suam crustis erant tectae, quibus dolores juxta vasorum lymphaticorum decursum et quarundam glandularum axillarum tumescentia accedebant. Haec tubercula mensis spatio insigniter incresecebant, neque disparebant nisi canterisatione facta cum pasta e chloreto zincico parato. Sex demum mensibus post insitionem apparebant symptomata constitutionalis morbi, ut tubercula mucosa ad scrotum, ulceratio superficialis tonsillarum et arcus palatini, conjuncta cum inflammatione frenuli linguae et membranae mucosae labii inferioris specifica, quae interno chloreto hydrargyrici usu celeriter sanabantur.

Insitio altera, pure a suppurantibus tuberculis praecedentis aegri desumpto, perficiebatur in brachio alius medici, qui artificiali cum pure primario inoculatione tredecies repetita contractum morbum syphiliticum sanare conatus fuerat. Producta

ulcera primaria quinto usque post ortum die cauterisatione facta disparuerant, dum ultimum eorum, quo tempore novum instituebatur experimentum jam per sex hebdomades fuerat sanatum. Die 23 loco inoculationis apparebant vestigia eruptionis, et 35 die ibi plura aderant tubercula cuprei coloris, quae cum applicato unguento e jodeto hydrargyrico disparuissent, 76—80 diebus post inoculationem exanthema syphiliticum lenticulare in corpore oriebatur, tum angina syphilitica et tubercula plana ad scrotum, ad internam femorum superficiem et ad perinaeum. Haec symptomata prorsus disparuerunt interno jodeti kalici et externo dicti unguenti usu.

Institio tertia. — Pus a tuberculis in brachio praecedentis medici desumptum inserebatur ad dorsum pueri ejusdem, 12 annos nati et chorea insanabili laborantis, jam diu in Nosocomio curati, eo quidem effectu ut die 27 post inoculationem insitionis loco rubor valde circumscriptus cum cutis infiltrationem oriretur, et dein eodem loco tuberculum non dolens prodiret, cujus superficies in initio glabra, mox humida fiebat et tenuibus crustis tegebatur. Nulla instituta curatione, hujus tuberculi locum octo hebdomadibus post experimenti initium quodammodo depressa cicatrix occupaverat, neque ullum symptoma constitutionale sequebatur.

LINDEMANN 1).

Hicce medicus Germanus, cujus nomen e disputationibus de contagio syphilidis secundariae, deque syphilisatione in Academia Medicinae Parisiensi innotuit, quinque fere mensibus post seriem inoculationum peractam, quae pure ab ulceribus syphiliticis primariis desumpto sibi met ipsi infligaverat scientiae ar-

1) De la Syphilisation etc. Communicat. à l'Acad. de Médic. p. 21.

dore ductus, virus syphiliticum denuo sibi iniecit; pus ipsum, desumptum ab ulcere syphilitico in tonsilla amici, qui paucis hebdomadibus ante indurato laboraverat ulcere primario, quo sanato roseola syphilitica orta erat et tumuerant variae glandulae, lanceolae ope ad superficiem internam brachii sinistri inserebatur. Undecimo demum die post insitionem parva papula eo loco observabatur, quae post quadriduum ad magnitudinem pervenerat lenticulae, quaeque serum continebat rubescentis coloris, tandemque crusta tegebatur; crusta sublata uleus apparuit, quod continue increscens septem fere hebdomadibus post insitionem, orta inflammatione, notabilem duritiem acceperit, tunc vero absque ulla medicatione sanabatur; 37 diebus post insitionem variae corporis partes doloribus rheumatoideis corripiebantur, quibus paullo post exanthema papulosum per totum truncum supervenit: exinde peculiaris cura antisiphilitica, syphilisatio dicta, instituebatur:

SPERINO ¹⁾.

Exper. primum. — Apud puellam 19 annorum, ad cuius introitum vaginae indurata ulcera primaria in stadio cicatrizationis, sed praeterea in tota corporis superficie pustulae ecthymatosae observabantur, duae insitiones puris ab una harum desumpti primum in femore sinistro, dein quoque in dextro perficiebantur. Die sexto post insitionem in sinistro apparebant duae parvae pustulae, quae post quinque dies prorsus caeteris pustulis ecthymatosis similes erant; aderat scilicet ulceratio superficialis crustis fusci coloris tecta. In dextro femore septimo post inoculationem die itidem duae pustulae sed parvae illae oriebantur, eadem ratione qua caeterae decurrentes. Notandum tamen alias quas-

1) La syphilisation etc. p. 17 et 168.

dam insitiones, ope puris de ulcere ecthymatoso desumpti in haecce puella aliis diebus institutas, nullum effectum habuisse.

Exper. secundum. — Apud nutricem 35 annorum, cujus mammarum papillis complura tubercula ulcerata obsidebant, infectione ab alumno contracta orta, puris ab hisce desumpti duae insitiones acus ope in femore dextro perficiebantur. In utroque post septimanam duae proveniebant papulae, quae sexto die post leviter excoriatae et tenui crusta obductae erant. Inoculatione puris ab hisce desumpti duo tubercula mucosa orta sunt. Insilio tuberculorum puris in femore sinistro instituta eundem habuit eventum. Omnes hae pustulae post 20 dies disparuerant; nulla locali neque generali cura instituta, superstite tantum macula cuprei coloris.

Haecce experimentorum series, numero quidem exigua, at vero momento plena, alii e schola sic dicta experimentali prodeunti, cujus magnus HUNTERUS auctor habetur, originem debet. HUNTERUS scilicet non succedente artificiali insitione syphilidem secundariam eadem qua primariam ratione, i. e. lanceolae ope, reproduci non posse concludebat. Quatuor experimenta ab illo instituta, etsi historico nomine magni momenti habenda, omnium consensu non sufficiunt ad naturam syphilidis secundariae non-contagiosam probandam. RICORD ea, quae illustris Chirurgus inceperat, summo ardore prosecutus est et tali modo extendit, ut ejus experimenta ad quaestionem dijudicandam multis omnino sufficere viderentur. Experimentorum a RICORDIO institutorum eventus pro maxima quidem parte tabulis tantum communicatus fuit, at vero nonnulla eorum quodammodo fusius referuntur, quorum quaedam hic commemorare cupimus, ut cum primis enumeratis experimentis comparari possint. Conve-

nit quoque tabulam statisticam inoculationum cum pure de secundariis affectibus desumpto jam ante 15 annos institutarum, quibus nuper 20 aliae additae sunt, hic referre. Experimenta RICORDI praecipue confirmarunt COLLIER et RATIER 1): « nous avons », sunt illorum verba, « plusieurs fois inoculé sans succès le liquide sero-purulent exhalé à la surface des papules syphilitiques, vulgairement appelées pustules muqueuses »; et « alio loco : » le pus formé dans les bubons qui accompagnent les ulcères primitifs ou secondaires, ou la blennorrhagie, peut être impunément introduit sous l'épiderme et sous l'épithélium, ainsi que celui, que fournissent les ulcères rongeurs de la gorge et les ulcères cutanés, etc. » Deinde RUCHE per 12 annorum spatium 55 insitiones cum pure e pustulis ecchymatosi secundariis sine successu instituit, neque alius eventus fuit quod ad papulas mucosas et lupum syphiliticum attinet. Experimenta quoque, quae ROBERTIUS Massiliensis nuper instituit, eundem negativum eventum habuerunt; et nuperrime SIGMUND, Clarissimus in Academia Viennensi Professor, se neque secreto planorum condylomatium, nec pure ulcerum faucium vel palati secundariorum insito ullum symptoma syphiliticum, ne post sex quidem hebdomades, ortum vidisse profitebatur.

Praemisso universali conspectu, tabulam inoculationum 2), quas inde ab anno 1831 ad 1837 sine effectu instituit RICORD, referam :

Syphilis secundaria.

Tubercula mucosa	} in variis locis. 221.
Pustulae vel papulae mucosae	

1) Diet. de Médec. et de Chirurg. etc. T. X, art. *Inoculation*.

2) Tr. prat. p. 527.

Ecthymata secundaria.	10.
Rupia	9.
Ulcera (tuberculis mucosis, ecthymati, rupiae et impetigini insecuta)	{ narium. 19. labiorum. 14. palati. 4. faucium. 31. ani. 44.

Syphilis tertiaria.

Tubercula ulcerata totius corii crassitiem occupantia.	21.
telaee cellulosaee vel gummata in abscessus et ulcera mutata.	41.
Periostoses suppuratae.	15.
Caries.	10.

His etiam 20 inoculationes ¹⁾ annumerandae sunt, quas cum PUCHO inde ab hoc tempore simili eventu instituit, tum etiam 28 aliae a MAIRION quidem factae, a RICORD ²⁾ autem de industria relatae. Ex insigni eorum experimentorum numero viginti tantum fusius communicantur. Sequentia commemorabimus:

Exper. tertium ³⁾. — Juvenis 18 annorum, ante duos menses propter ulcus syphiliticum et bubonem in dextro, dein in sinistro quoque inguine in clinico curatus, syphilide generali seu secundaria corripitur, sub forma pustularum ecthymatis ad brachia femoraque, ad penis radicem vero atque in plica genito-crurali sub forma planorum condylomatatum prodeunte. In media interna dextri femoris parte ulcus apparet crusta satis

1) Lettre 14^{me}, p. 112.

2) Tr. prat. p. 533.

3) Ibid. p. 481.

crassa tectum. Ad enucleandam quaestionem utrum ulcus istud primarium esset an ecthyma secundarium habendum, pus ab illo desumptum in alterum femur inseritur. Vulnuscule post quatuor dies sanato, ulcus secundarium fuisse statuit Ricord.

Exper. decimum quartum 1). — Vir 34 annorum ulceratione extensa ad partem pharyngis posteriorem laborat, quae sinistram tonsillam penitus fere destruxit. Ad organa genitalia nullum recentis cicatricis vestigium apparet, sed prope frenulum conspicuus est locus parvus, albidus, subdurus, ulceris primarii, ante octo annos aegrum aggressi, intra mensis spatium sanati, reliquium. Postquam evanuit istud ulcus nulla symptomata syphilitica apparuerunt. Pus ab ulcere in pharynge desumptum utrique femori inseritur, at vero sine effectu, ulcus idcirco secundarium habetur.

Exper. decimum quintum 2). — Id factum est in muliere ulceribus ad utramque mammam ejusque papillam affecta, quae etsi simplicia, tamen syphiliticorum ulcerum ad aspectum prae se ferebant. Mulier scilicet nunquam primaria affectione se laborasse asseverabat, atque quatuor infantibus ubera sine ullo damno praebuerat, maritus semper sanus fuerat. Neonatus mulieri traditus infans, ad speciem sanus, post tres hebdomades exanthemate ad frontem et circa anum, crustis oblecto, squamoso porro in variis corporis locis exanthemate corripitur, dum insuper profundae ulcerationes in clunibus et ad suras oriuntur. Nonobstante statu illo morbo laetandi negotium per sex adhuc hebdomades continuat nutrix, tunc autem incremente morbo infantem parentibus restituit. Octo diebus post fissurae oriuntur ad utramque papillam, proprium infantem nihilominus

1) Ibid. p. 505 seqq.

2) Ibid. p. 508 seqq.

per 15 dies alere pergit; qui inde nullam noxam accipit. Pus ab ulceribus in mammis desumptum utrique femori sine successu inseritur, post biduum scilicet nullae pustulae ortae sunt, quamobrem affectio, qua infans laborabat, secundaria existimatur.

Nuperrime ROBERT 1), Massiliae medicus practicus, Ricordii discipulus, pus quarundam affectionum secundariarum et sibi et ipsi et aegris sine effectu iniecit. *Prima* inoculatio facta est cum pure pustulae cethymatosae; *altera* cum pure de ulcere tonsillae secundo desumpto; *tertia* cum secreto ulceris ad pharyngem obvii viri cujusdam jam per biennium syphilide generali laborantis; *quarta* denique cum purulenta tuberculorum mucosorum secretione.

1) Gazette des Hôpit. n^o 6 et 11, 1853.

CAPUT QUINTUM.

CRITICA EXPERIMENTORUM CONTEMPLATIO.

Etiam si eventum pro momento mittamus, utraque series inoculationum plures differentias magni momenti offert, praecipue earum numerum atque methodum experimentandi spectantes. Positivorum experimentorum numerum exiguum esse prae negativis facile inde explicatur, quod experimentum in schola Ricordiana simul auxilium diagnosticum et minime unice ad investigandum instituitur, uti in clinica schola; quocirca ex hacce numerorum differentia nequaquam concludere licet syphilidem generalem in nonnullis tantum casibus contagiosam in genere autem non contagiosam esse.

Imprimis deinde differt methodus, quam secuti sunt experimentatores: dum enim in schola RICORDII, nulla fere exceptione, experimentum in ipsis aegris instituitur, e contra experimenta a WALLACE, WALLER, RINECKER aliisque prolata sanos plurimum homines spectant, ideo praesertim instituta, quod ex illorum opinione aegri, generali syphilide laborantes, secundariae syphilidis contagio fortasse insensibiles aut minus sensibiles fiunt, prouti viri variolosi, vaccini aliorumque virorum in-

fectio plerumque contra novam infectionem tuetur. Quod etiamsi verisimile habendum sit, exinde tamen nondum concludendum est, uti inter alios CAZENAVE et SIMON fecerunt, eam tantum inoculationem syphilidis secundariae contagium demonstrare posse, quae in sano homine instituitur, quamvis fatendum hac demum ratione contagiosam morbi naturam plena certitudine esse demonstrandam.

Varia porro ratione in diversis experimentis insitio facta est: RICORD enim ejusque sectatores lanceolae ope secreta affectionum secundariorum inserere solent, alii contra vesicatorium vel scarificationes adhibent. Num vero diversa inserendi ratio tanti momenti sit, quanti VIDAL opinatur, contendens 1) fore ut saepius bono cum eventu instituta fuissent experimenta, si WALLACIO duce vesicatorium adhibuissent chirurgi, quandoquidem pus a tuberculis mucosis secretum vesicatorii quidem ope, non vero lanceola insitum infectionis symptomata producere soleat, ideo quidem dubitandum est, quod, uti ex allatis experimentis efficiendum est, nonobstante varia inserendi methodo, pure ab iisdem affectibus desumpto eadem producerentur symptomata. Id tamen ex istis experimentis effici posse videtur inoculationem cum pure a tuberculis mucosis desumpto, si lanceolae ope instituitur, plerumque male, si vesicatorii ope, saepius bene succedere, quare haecce methodus in genere praeferenda videtur, in iis saltem casibus, in quibus insitio in ipsum aegrum instituitur, in quibus forsitan majori viri stimulo ad infectionem producendam quam in sano homine opus est.

Quocumque autem modo instituantur experimenta oportet ut tum positiva, tum negativa quibusdam conditionibus respondeant:

1) Op. laud. p. 252.

1° oportet ut de secundaria affectionum, de quibus pus desumitur, natura nullum dubium remaneat; 2° symptomata inoculationi insecuta indubitatae operationis sequelae sint necesse est; 3° ubi post inoculationem nulla symptomata observata sunt, certitudo adesse debet talia neque in posterum esse insecuta; 4° denique oportet ut oborta symptomata revera syphilitica fuerint, non tamen stricto sensu, quo RICORD vocem illam accipiat, pustulam specificam ecthymatosam unicum criterium habens, eo vero sensu, quem WALLER, RINECKER nonnullique alii ei tribuunt, secundaria secreta vulgo symptomata secundaria producere opinantes. Non enim licet a viro, quod jam in organismo degerit, ibique mutationes vel modificationes subierit, eosdem plane effectus expectare, quos recens primum virus producere solet.

Positivis experimentis contagiosam naturam demonstrare conati sunt 1° sanguinis hominum secundaria syphilide affectorum; 2° tuberculorum mucosorum; 3° ecthymatis secundarii; 4° quorundam aliorum affectuum secundariorum. WALLERI experimenta, alterum nempe et tertium, quae sola ad hunc usque diem sanguinis naturam contagiosam directe probant, positivis conditionibus ita respondent, ut RICORDII oppositio eorum virtutem potius confirmet quam infringere valeat. Quum enim ligatura accurate posita scarificationes ab omni fortuita contaminatione tegerentur, RICORDII 1) objectio, symptomata inoculationi insecuta non huic sed infectioni postea fortuito factae esse adscribenda, omni valore destituitur; neque magis valet altera ejus objectio, qua probare conatur tubercula mucosa apud juvenem, de quo in altero experimento sermo est, ulcera primaria cum indurata basi fuisse; tuberculis enim pluribus postquam

1) Lettre 30^{me}.

sanatae sunt scarificationes diebus ortis, non potuit quin ulcera primaria fuerint, quorum evolutio longe diversa est. Sed etiamsi tubercula post insitionem orta primaria fuissent ulcera, ista nihilominus ulcera sequela inoculationis cum sanguine syphilitico habenda essent, atque igitur, nisi praejudicata opinione considerentur, validum illius sanguinis contagiosae naturae sisterent argumentum. Quae pro altero experimento allata sunt argumenta quoque de tertio valent.

An vero idem dicendum de experimentis, quae WALLACE, WALLER, VIDAL aliique cum pure tuberculis mucosis vel pustulis ecthymatosis secundariis secreto instituerunt, aut an plus valent ea, quae RICORD illis objecit? Statuens 1) pustulas psudrasias, quarum secretum priori insitioni a WALLACE institutae inserviit, primarias fuisse non secundarias, statuens porro proctorrhoeam, de qua in altero WALLACH experimento sermo est, ulceris primarii absconditi sequelam fuisse, cujus secretioni insitae orta infectio generalis attribuenda sit, illustris auctor hypothesis tantum emittit, nihil vero probat. Verisimile omnino est symptomata insitionis loco in altero experimento orta et generalem infectionem ipsius insitionis effectum fuisse, nullaque datur ratio quare errorem in diagnosi suspicaremur, imprimis quum incubationis periodus in dicto casu adeo protraheretur, quod, testante ipso RICORDIO, in primaria syphilide non obtinet. De hisce itaque experimentis valent VIDALI verba: »elles ne laissent aucune espèce de doute sur la transmissibilité de la pustule muqueuse et des autres pustules se rapportant aux accidents dits secondaires 2).» Eadem prae omnibus valent de prima WALLERI insitione, quam RICORD tot saepeque tam vanis

1) Lettre 14^{me}.

2) Op. cit. p. 242.

objectionibus refutare conatur ¹⁾, quarum enumeratio inutilis et nimis longa foret. Scire sufficiat in hoc casu objici iterum argumentum ad fastidium usque repetitum, puero tineâ capitis laboranti loco secundarii puris insitum fuisse pus primum desumptum ab ulcere primario in vagina abscondito, blennorrhoeae vaginae causâ et condylomatum secretionem contaminante.

Haec omni fundamento carens hypothesis, uti quoque alterum argumentum, condylomata lata aut fuisse ulcera primaria, aut tubercula in puero post insitionem orta fuisse ulcera primaria indurata, accurata morbi producti descriptione, nec minus illius ortu et decursu satis superque refutatur. Num caetera etiam experimenta indubia contagii argumenta habere licet? Jam diximus insitiones in sanis hominibus factas longe majoris momenti esse habendas quam eas, quae in ipsis aegris aut saltem syphilitica affectione laborantibus instituuntur, quippe quae contagiosam syphilidis secundariae naturam admodum probabilem quidem reddant, non vero probare possint. Quam VIDAL instituit inoculationem apud sanum pharmaciae studiosum, magni omnino momenti habenda esset, nisi symptomata localia post insitionem orta quoad evolutionem atque decursum valde differrent ab iis, quae WALLER, RINECKER, LINDEMANN atque BOULEY observaverunt. Ista nimirum symptomata localia in VIDALII experimento longe citius inoculationem secuta sunt, quam in aliorum insitionibus obtinuit, quod eorum indolem primariam potius quam secundariam indicaret; symptomatum porro evolutio et decursus magis cum iis conveniunt, quae post infectionem cum pure primario observantur, quam cum iis, quae vulgo in secundariis affectionibus obtinere solent: tribus enim hebdomadibus postquam pustulae ecchymatosae primum ortae evanue-

1) Lettre 30^{me}.

runt, remanentis indurationis loco similes oriebantur pustulae; et uti omnibus notum est indurationes ab ulceribus primariis relictæ frequenter iterum in ulcerationem transeunt.

Quæ etsi objectiones experimenti valorem omnino infringant, nequaquam tamen prorsus tollere possunt, quod neque possunt argumenta RICORDII, qui hoc imprimis experimentum cum vehementia aggreditur. Illo iudice ¹⁾ BOUDEVILLIO pus primarium insitum est non secundarium: etiamsi enim pustulae apud pharmaciae studiosum ortæ manifeste, concedente RICORDIO, infectionem generalem indicarent, fieri tamen potuisse contendit ut nova ulcera primaria simul orta essent; affert porro RICORD pustulas in antibrachiis abortas fuisse ulcera primaria indurata, ideo quidem quod nonnullæ glandulae lymphaticæ tumefactæ fuerint. Quum RICORD aegrum ipse non viderit, prior ejus obiectio nil probare potest, neque altera potest, quia in secundaria syphilide quoque tumescant glandulae, imprimis in regione cervicali posteriori, quod etiam ex RICORDII opinione sæpissime signum diagnosticum magni momenti sistit.

Experimentum VIDALII itaque non tale est, quo contagiosa syphilidis secundariae indoles probatur, etiamsi illam verisimilem reddat; idem de experimentis a RICHET, CAZENAVE et SPERINO institutis valet, quibus itidem objecit RICORD ecchyma primarium pro secundario habitum esse, qualis vero confusio tunc tantum admitti posset, quando una vel duæ pustulae ecchymatosæ adfuerant; ubi vero majore numero vel cum aliis symptomatibus secundariis existunt, talis confusio vix expectanda est; neque in omni casu valent, quæ MAISONNEUVE et MONTANIER ²⁾ contendunt, semper requiri lanceolam ut distinc-

1) Commun. à l'Acad. etc. p. 297 et Lettre 14^{me}.

2) Traité pratique etc. p. 216.

tio inter utramque morbi speciem certa fiat. Solus RICHET pus eethymatis solitarii in sevit, in caeteris aegrotantibus exanthema pustulosum latius extensum aderat, quumque accurata aegrorum exploratione in omnibus illis casibus nullum primum symptoma detectum fuerit, cum fortuita contaminatio vulnuculorum non admittenda sit et specifica pustularum, quae post inoculationem ortae sunt, natura lanceolae ope demonstrata fuerit, admodum verisimile est pustulas eethymatosas, quarum pus inserebatur, revera secundarias fuisse.

Longe tamen majoris momenti habenda sunt experimenta a RINECKER et LINDEMANN cum pure quorundam aliorum affectuum secundariorum instituta. In priori enim RINECKERII inoculatione Vir doctissimus in suum damnum contagiosam syphilidis secundariae naturam expertus est, dum contagium syphilidis haereditariae transitu matris in foetum nullo modo imminutum sit, quandoquidem facta insitione infectio non tantum localis sed universalis quoque producta sit. Aequalem virtutem alteri ejus et tertio experimento tribuere non licet; medicinae enim Doctor, de quo in altero experimento sermo est, iterata inoculatione secundum methodum doctissimi AUZIAS TURENNE sibi met ipsum ulcerum primariorum in sevit, et etiamsi cura pustularum syphiliticarum, quae insitionem sequuntur, abortiva ex RICORDII et RINECKERII quoque opinione affectionem universalem praecavere possint, non semper tamen, uti jam antea vidimus, talis curatio revera prophylactica dici meretur, quocirca in casu supra memorato symptomata universalis infectionis, quae serius oriebantur, *syphilisationis* sic dictae praegressae effectus esse poterunt, quod vero de localibus inoculationi insecutis symptomatibus non valet, quae revera insito puri secundo tribuenda videntur, praesertim quia evolutionis modus et horum symptomatum et tuberculi indolentis in puero chorea laboranti, il-

lorum indolem secundariam manifesto indicant. Annotandum quoque est in tribus RINECKERII experimentis, uti in iis quae WALLER instituit, symptomata localia aliquot hebdomadibus post inoculationem factam orta fuisse. — Insitio quam doctissimus LINDEMANN sibi et ipsi infligavit a RICORD iisdem 1) argumentis ac caeterae refutatur, quod scilicet pus a primario ulcere ad tonsillam obvio non a secundo desumptum fuerit, quodque post insitionem non tuberculum mucosum sed ulcus primarium induratum ortum fuerit. Verisimilius attamen est et hanc insitionem cum pure ab ulcere secundo desumpto factam fuisse, quandoquidem provenerit illud pus ab ulcere tonsillae, quatuor hebdomadibus postquam primarium ad praeputium ulcus sanatum est orto, praegressa roseola syphilitica, tum quoque propter ipsum insitionis eventum: symptomata enim oborta secunda fuisse non primaria probabile reddit protracta incubationis periodus, quae, si inseritur materies ulcere primario secreta, longe brevior est, vel uti opinatur RICORD prorsus deficit.

Hac igitur experimentorum analysi apparet ea non immerito testimonia haberi contagii syphilitidis secundariae, a RICORD ejusque sectatoribus negati, non tantum propter argumenta supra allata, sed ideo quoque quod plurimae insitiones cum materie affectuum secundariorum absque ullo effectu fuerint institutae. Experimenta positiva, dummodo severum examen patiantur, plus valere quam negativa, etiamsi numero longe frequentiora, per se patet, at vero negativa quoque magni momenti habeantur necesse est. Sed uti positiva sic etiam negativa experimenta examini accurato submittantur. An vero omnes quas RICORD instituit inoculationes cum materie affectibus secundariis secreta conditionibus, quae posci queunt, respondent? Quod insitione

1) Comman. à l'Acad. p. 34 et 298.

instituta post duos ad decem dies pustula specifica non orta fuerit, exinde nondum efficiendum neque in posterum symptomata secundaria sese obtulisse, quum ex WALLACH, WALLERI, RINECKERI experimentis satis pateat incubationis periodum diutius quam per decem dies protrahi solere. Experimentum decimum quintum nihil probat, quandoquidem ipse RICORD ulcera mammarum simplicia, non syphilitica habeat; dicit enim: »des deux côtés, sur le sein et sur le mamelon, on voit des ulcères à fond grisâtre, bords taillés à pic, irréguliers, et *simulant*, quoi- que simples, des ulcères syphilitiques 1)». Hoc in casu inoculationem pustulam specificam non produxisse diagnosin de affectionis indole non syphilitica solummodo confirmare potuit.

■ Dubia allata contra ea RICORDII experimenta, quorum supra mentionem fecimus, quoque contra plura alia afferri possunt. Stadium incubationis non admittens, pustulam eethymatosam unicam formam specificam habens, RICORD verosimiliter plures insitiones sine successu instituit. Non in omni vero casu eventum experimenti negativum hisce causis tribui posse, neque insitioni factae apud aegrotantes ipsos, neque modo, quo instituerentur insitiones, nimirum lanceolae ope, ex iis efficiendum est experimentis, in quibus invitis his omnibus insitio bene successit.

■ Ex omnibus, quae hucusque innotuerunt, probabilis conclusio ea est, quod affectiones secundariae non in omni casu, sed faventibus diversis conditionibus infectionem producere valeant, quodque probabiliter pustulae eethymatosae, tubercula mucosa, aliaeque secundariae affectiones non omni tempore et per totam istorum durationem contagiosa sint, uti primaria quoque ulcera tantum in stadio progressionis non vero in reparationis periodo

1) Traité pratique etc. p. 509.

infiendi vim possideant. Analogia etiam quae virus syphiliticum inter atque alias virulentas materies existit pro ista hypothese militari videtur: in omni enim infectione datur periodus incubationis, incrementi ac decrementi, et dum morbus istas periodos percurrat revera modificatur et imminuitur viri efficacitas, ita ut tandem vi sua inficiente destituatur. Id manifesto patet ex variolis, vaccinae viro, cujus virtus et efficacitas minores fiunt, prouti pustulae obsolescant, quod jam illustris JENNERUS observaverat.

Proposita hypothesis eo sensu etiam utilis est, quod explicare valeat, quomodo similia experimenta a diversis instituta eventus contrarios habere potuerint. Sed aliter quoque utilis hypothesis: ex illa nimirum sponte sequitur quaestio, quibusnam sub conditionibus contagiosa sit syphilis secundaria. Hoc respectu valent, quae apud RICORDIUM legimus dicentem: »si l'on parvient à établir les circonstances dans lesquelles les accidents secondaires peuvent être contagieux, on aura fait faire un grand pas à la syphilogénie et rendu un grand service à la science 1).

Instituta ad hunc usque diem experimenta rem quidem plane dijudicare nondum possunt, verisimillimum tamen est syphilidis secundariae contagium temporis lapsu imminui, illud in initio efficacissimum esse, dein minus fieri, tandem evanescere. Num limites isti unquam sive observationibus, seu, quod praestat, experimentis definiri poterunt, quaestio profecto summi momenti est, cujus tamen solutio forsitan diu adhuc inter pia vota recensenda erit.

1) Lettre 15^{me}.

T H E S E S.

I.

Systema nervosum vegetativum intimo nexu cum systemate nervoso animali conjunctum esse plane ostendunt physiologica experimenta et comprobant pathologicae observationes.

II.

Egregie KÖLLIKER: »Dass die Knochensubstanz in stetem und zwar sehr energischem Stoffwechsel begriffen ist, davon geben neben so vielfachen Erkrankungen derselben auch noch ihre Veränderungen im höheren Alter Kunde.«

III.

Alcaloidea nec physiologica neque therapeutica virtute prorsus conveniunt cum materiis, e quibus extrahuntur.

IV.

Substantia, *colloid* dicta, secretionem non exsudationem producit.

V.

Virtus therapeutica decocti ZITTMANNI pro parte chloreto hydrargyrico tribuenda est.

VI.

Non ex solo pulsu sed ex omnibus simul sumtis symptomatibus venae secundae indicatio petenda est.

VII.

Recte STOLL: »In hominibus infimae sortis vino non aduetis praestantius cardiacum vino non datur.»

VIII.

Diabetem mellitum ad morbos dynamicos non vero ad organicos numerandum esse statuo.

IX.

Optime de pneumoniae curatione animadvertit C. CANSTATT: »Verdient auch der Zustand der Kräfte des Kranken Berücksichtigung »in Beziehung auf Wiederholung der Blutentziehungen, so dürfen »doch in dieser Krankheit am wenigsten aus Furcht vor Schwächung die nöthigen Entleerungen versäumt werden.»

X.

Non consentio iis, qui statuunt tuberculosin et serofulosin prorsus eundem esse morbum, cognatum potius utrumque habeo.

XI.

Syphilidis symptomata omnia eodem viro producuntur, quod tamen varias easque incognitas mutationes in organismo patitur.

XII.

Blennorrhoea membranae mucosae urethro-genitalis post coitum orta, affectio quidem venerea non vero syphilitica habenda est.

XIII.

Quae blennorrhoeae interdum superveniunt syphilidis symptomata vel ulceri abscondito, vel physiologicae, quam vocant, viri absorptioni tribuenda. Fatendum tamen syphilidem spontaneam, i. e. physiologica absorptione productam, rarissimam esse.

XIV.

Ulcus syphiliticum primarium non est localis affectio, sed universalis infectionis symptoma.

XV.

Tubercula mucosa sive pustulae planae humidae ad secundariae syphilidis symptomata referenda sunt.

XVI.

Syphilidem secundariam contagiosam esse observationes probabile, syphilis haereditaria probabilius, experimenta autem certum fecerunt.

XVII.

Contagium syphilidis secundariae hoc maxime nomine a primariae contagio differt, quod hujus infectione semper primaria, illius vero, nisi semper plerumque saltem, secundaria symptomata producantur, tum eo quoque quod secundariae syphilidis contagium longe diutius in corpore latere possit.

XVIII.

Quandoquidem crebra experientia probatum videatur infantem in nutricem, hanc in illum syphilidem secundariam posse transmittere, neque in uno casu nec in altero infanti nutrix ubera praebeat necesse est.

XIX.

Recte SCHÜRMMAYER: »Der von der Möglichkeit des Lufteinblasens ausgehende Einwurf gegen die Beweiskraft der Lungenprobe hat übrigens in seiner abstracten Anschauung im Compendium und überhaupt in der Theorie ungleich mehr für sich als in der Praxis.»

XX.

Si funiculus umbilicalis prolapsus reponi nequeat, partus fieri si potest, quam citissime absolvendus est.

XXI.

E variis methodis ad partum arte praematurum provocandum adhibitis, injectiones in vaginam secundum KIWISCHII methodum vario nomine praeferendae videntur.

XXII.

Injectiones chloridi ferri liquidi in saccum aneurysmaticum, quas nuperrime commendavit PRAVAZ ad sanguinem coagulandum, reprobandae videntur.

XXIII.

Herniotomiam instituisse, etsi non stricte indicatam, melius est quam indicatam neglexisse.

XXIV.

Non assentiendum videtur Clar. CRUVEILHIER dicenti: » je suis » persuadé que la veine jugulaire à son embouchure, que la veine » sous-clavière elle-même, auraient beau être ouvertes, si la circu- » lation et surtout si l'inspiration étaient assez paisibles pour qu'une » attraction brusque et puissante ne fut pas exercée sur l'ouverture » de la veine, l'introduction de l'air n'aurait pas lieu. »